



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Parochorum, Sive Institutiones & Praxes Tum Vitæ, tum Officii Pastoralis

Musart, Charles

Monachii, 1654

Pars II. Administratio Sacramentorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41616

INSTITVTIO-
 NVM
 PASTORALIVM
 PARS II.

Circa Sacramentorum
 administrationem.

*Sic nos existimet homo ut ministros
 Christi, & dispensatores ministeriorum
 Dei: hinc iam queritur inter dispensatores:
 ut fidelis quis inueniatur. I. Cor. 4.*

CAPVT I.

De obligatione Administrandi,
 & Residendi : item quædam genera-
 liora principia administrationis
 Sacramentorum.

NVM: I.

Obligatio administrandi.

C 5

Partim

STI

Partim ex officio ipso, partim diuino iure teneris gregem tuum pascere exemplo, verbo; maximè autem Sacramentis: quæ obligatio, utpote de re magnâ, de se grauis est, & nonnunquam cum vitæ tuæ periculo. Quapropter ne tu saltem tuis partibus desis, subinde præsertim initio suscepti muneris, populum publicè moneas, te quidem promptum, ac facilem fore, ut Sacramentâ administres: caueant ipsi, ne vocare negligent, præsertim in morbis; & tunc quidem, quantum fieri potest, tempestiuè: tanti hoc esse, quantum est æterna salus. Et quoniam mortalibus sæpe casus repentini accidunt, hortaberis, ut præter annuam confessionem, & communionem in Paschate, mortis periculo, sæpius intra annum, diebus saltem solennioribus, Sacramenta vsurpent. Quod si moniti, ne quidem, cum tenentur, suscipiant, ipse per te vel alium, ut non
negli-

negligant, urgebis, saltem ex lege charitatis, quâ etiam alii intelligant se teneri.

Cauebis autem, cùm petuntur Sacramenta, etiam à sanis, ne morosus sis, aut sine rationabili causa neges: nam tergiuersatio ista, & morositas, multò etiam magis repulsa, plurimùm ab vsu rerum sacrarum auertit; damnum verò maius accidit, & nonnunquam irreparabile, quando pro infirmis petuntur.

Sed tamen alter hîc scopulus tibi vitandus, ne des sanctum canibus, ne, inquam, administres incapaci, vel indigno. Incapax est præterquàm baptismi, quisquis nunquam rationis usum habuit, & ad reliqua Sacramenta, qui necdum baptizatus est. Ad Sacramenta viuorum, qualia sunt Confirmatio, Eucharistia, extrema Vnctio, & Matrimonium, indignus est, qui accedit cum conscientia peccati adhuc mortalis: aut peccator, qui ad Sa-
C 6 cramen

60 *Institutionum Pastoralium*
cramenta mortuorum , baptismum
scilicet & pœnitentiam, sine attritio-
ne, se ingerit.

NVM: II.

De requisitis in ministerio.

Cùm gregem pascere actus quidam
sit iurisdictionis, solis tuis Paro-
chianis Sacramenta administres, non
aliis, absq; licentiâ proprii pastoris
vel superioris ipsius, quæ facultas
alienos concessa censetur in casu ne-
cessitatis : sine iurisdictione enim
semper illicitè id usurpatur, imò in
Sacramento pœnitentiæ etiam inuali-
dè, hîc enim forma iudicialis exerce-
tur, quæ iurisdictionem requirit.
venialibus tamen, & mortalibus sem-
ritè absolutis quibuscunq; licitè, &
validè absolues, quia id Ecclesiæ vfu
concessit.

Præterea Sacramentorum aliquod
administraturus, concipe in animo in-
tentionem illud conferendi iuxta In-
stitu-

stitutionem Christi, aut intentionem Ecclesiæ: id enim etiam necessarium est; & licet Parochis non facile desit intentio, saltem implicita, & virtualis; consultius tamen est, excitare actua- lem intentionem, & deuotionem cum breui aliquâ oratiunculâ, quantum tempus patitur, præsertim antequam Confessiones audias.

Ad hæc caue maximè, ne vnquam peccati mortalis conscius Sacramen- ta, quibus administrandis sacris ordi- nibus es initiatus, administres: ingens enim hoc piaculum foret. Quare prius confitere, aut saltem contritio- nem elice. Singulare tamen est ex præcepto Tridentini, vt ante sacrifi- cium propter sumendæ Eucharistiæ dignitatem, confessionem præmittas, si potes, & conscius sis peccati mortalis.

NVM: III.

De materiâ, formâ, caeremoniis.

C7

In

IN vnoquoq; Sacramento materiam, & formam adhibe certam, quoad fieri potest: Si certam nequis, saltem probabilem: si neq; hæc suppetit, adhibe dubiam, sub conditione tamen, vt minimùm animo retentâ. Quòd si deinde aliquid certius nancisci possis, eo vtere, sub hac conditione, si priùs non valuit: quod maximè locum habet in baptismo, & in pœnitentiâ moribundorum, propter maximam necessitatem.

Deniq; caremonias præscriptas in libro Rituali, de quâ re paulò pòst, ritè obserua, etiamsi ad valorem non requirerentur; obligant enim, & quidem grauitè, si notabiliter faciunt vel ad dignitatem Sacramenti, vel populi instructionem; neq; ratio ab iis adhibendis hîc & nunc excuset. Quare ex Rituali lege, quæ legenda sunt, distinctè, clarè, deuotè, ne memoria fallat: quæ verò agenda sunt, etiam decorè, ne assistentes offendas,
 Habi-

Pars secunda. 63

Habitus sit decens, & Sacerdotalis:
Locus communiter sacer. Si Sacra-
mentum aliò deferendum, id age re-
uerenter: indecora est nimia festina-
tio; si tamen necessitas vrgeat, quan-
tum opus est, non tantum curre, sed
vola. Cum Eucharistià festinandum
lentiùs in publico; nunquam autem
opinor incidet tantæ festinationis
causa, vt non liceat vestem clericalem
saltem iniicere, ne vt seminudus, vel
semifatuus prodire debeas: si quem
ex vrgenti maturatione offendi ad-
uerteres, causas ede, vt mirari desinat.

NVM: IV.

*De Stola, sine Stipendio ob Sacramenti
administrationem.*

Q Vibusdam in locis vetatur, ne
ob Sacramenti administrationem
aliquid directè, vel indirectè exigatur,
ad tollendam Simoniacæ labis, vel
saltem auaritiæ suspicionem. Alicubi
istud permittitur, quantum scilicet vel
lege,

lege, vel consuetudine taxatum est, (stolam aliqui vocant.) Tu si eo loco sis, quia licitum, modò iustum, recipere poteris: sed exigere ante ministerium, sordes olet: imò etiam operâ præstitâ altercari contentiosè ad extorquendam solutionem, turpiculum est: conuenientiùs deferes ad tribunal Episcopi eum, qui soluere recusaret pertinaciter; cùm soluendo sit: à pauperibus oblatum etiam respue, iis gratiis dandum, quod gratis accepisti. Decet nonnunquam medicis fortunæ hominibus aliquid remittere, præsertim pro Sacramento necessitatis, si commodè pretium conficere non possint pro operâ; neq; ea liberalitas propterea præiudicium adferet successori. Si nonnunquam ditiores supra consuetum offerant acceptare potes, modò sponte suâ donent.

NVM:

EX dictâ obligatione administrandi sequitur, habentem beneficium curatum teneri ad Residentiam; quod etiam præcipit Tridentinũ, & quidem personalem: id enim pastorale officium exigit; vt cuique, & quouis tempore sit quasi ad manum, cum parochiani, præsertim infirmi, Sacramenta petent: sæpe enim parua absentia mora æternũ nocuit. Quare consultò ages, si domo exiens, præsertim longiusculè, licet intra Parochiam, domesticos moneas, vbinam reperendus sis, quando res vrgeret; vt misso nuntio, vel signo certo campanæ euocari possis. Extra verò Parochiam ne pedem efferas facilè, nisi Sacerdotem, habeas domi, aut Religiosum, aut aliquem alium in viciniâ, ad quem sciant se posse recurrere, si quid repentinum occurrat. Imò etsi eiusmodi habeant, tamen sine causa, saltem ad dies aliquot,

quot,

quot, ne excurras, nisi quando, & quomodo tibi est concessum. Concedit autem tibi Tridentinum, annis singulis duos menses absentiae, continuos, vel interpolatos, modò substituas tuo loco aliquem ab Episcopo approbatum, & ab eodem causa approbetur. Consuetudo praeterea permittit, ut absis idoneo similiter substituto, si urgeat utilitas magna Ecclesiae, vel Reipublicae, vel tuum alioqui graue incommodum, vel obedientia Superioribus debita, vel similis causa grauis, neque possis ad Episcopum recurrere pro licentia. Quod si ultra tempus concessum à Tridentino protrahas, praeter peccatum, & poenam extraordinariam Episcopi, amittis ipso facto fructus beneficii, pro rata temporis, applicandos fabricae Ecclesiae, aut pauperibus loci, ante omnem condemnationem iudicis. Quod quomodo explicandum sit, consule authores, neque enim vacat his immorari.

NVM:

NVM: VI,

**Primum principium generale
administrationis totius curæ
Pastoralis.**

*Quæ in libro rituali pro Sacramentis,
aliisque pastoralibus functionibus præ-
scribuntur, exactè observato.*

PRæcipit Apostolus, ut in Ecclesiâ
Dei omnia honestè, & secundum
ordinem fiant, idq; ratio, & virtus re-
ligionis docent: ut uniformitas autem
sit, non modò in rebus credendis; sed
etiam, quantum fieri potest, in ritibus,
& cæremoniis sacris, præsertim in tra-
ctatione Sacramentorum, providen-
dum fuit. Hinc Paulus Papa V. per
Cardinales, pietate, doctrinâ, & pru-
dentiâ eximios, adhibitis quoq; erudi-
tis aliis viris, & consultis tum veteri-
bus, tum iis, qui circumferebantur,
rituum libris, Rituale edidit Romanû,
omnesq;, ad quos spectaret, nomina-
tim Parochos, hortatus est: ut impo-
serum

63 *Institutionum Pastoralium*

sterum tanquam Ecclesiæ Romanæ filii, eo Rituali eiusdem Ecclesiæ omnium matris, & magistræ autoritate edito, in sacris functionibus vterentur. Sed hortatus est tantum Pontifex : non præcipit, ut opinor, eam ob causam, quod locorum omnium diuersitas non permittat ubiq; eadem omnino præcipi, præsertim in solemnitate publicâ Sacramentorum, quod quibusdam in partibus à primis Christianæ religionis initiis instituti quidam ritus, sine graui offensione populi, non viderentur aboleri potuisse : maluit igitur supremus sacrorum Antistes relinquere Episcoporum prudentiæ, ut ipsi, quod fatius esset, pro suis Dioccesibus statuerent. Ita pridem Ioannes Hanchinus Archiepiscopus Mechliniensis, ac deinde Matthias Houius successor, Pastorale ad usum Romanum accommodatum edidit, idq; conformiter decreto Patrum quartæ Synodi, quæ voluit, ut Parochis à Sacerdote, scilicet

cet

et Episcopo, Officialis liber tradere-
tur, vnde Pastoralium officiorum nor-
mam rationemq; acciperent, & se-
querentur. Eodem modo simile Pa-
storale prodiit, quod Passauiense ap-
pellant, Reuerendissimi & Serenissimi
Leopoldi Episcopi iussu, & authori-
tate editum; sicut & Petri Pasmani
Cardinalis Archiepiscopi Strigoniē-
sis recentius, quod Rituale Strigoni-
ense appellatur. Extabat quoque olim
Agendarium Salisburgense ab annis
facile 70. Ioannis Iacobi Archiepi-
scopi iussu editum, itémq; Manuale
Parochorum, iisq; vti iubentur Paro-
chi in administratione Sacramentorū,
aliisq; Ecclesiasticis muneribus obe-
undis, idq; sub grauib; pœnis, quod
audio esse correctum alio substituto.
Igitur, mi Neo-Paroche, quamprimum
curam susceperis, fac intelligas,
quodnam pro totâ Diœcesi Rituale
ab Episcopo præscriptum sit, Roma-
numne commune, an aliquod Diœ-
cesi

ceſi

70 *Institutionum Pastoralium*
ceſi proprium, & quodcunq; præſcri-
ptum fuerit, ad vnguem obſerua.

NVM: VII.

Principium generale ſecūdum,

*Conſuetudines quoq; circa rerum ſacrarū
tractationem in tuâ Parochiâ uſurpa-
tas, ſi adhuc vigent, retineto.*

Fit ſubinde, vt præter cæremonias
ſtatas, & in Rituali præſcriptas
nonnullæ conſuetudines in rebus, ad
munus Parochiale pertinentibus, u-
ſurpentur: eas tu, ſi honeſtæ, & pro-
bæ ſint, & adhuc vigeant, noli propriâ
authoritate abolere: vim enim legi-
obtinent. Quod ſi tamen nonnullæ
(vt ſit nonnunquam) vel ſuperſtitio-
nem, vel mali ſpeciem præſeferrent,
vel quibus populus abuteretur, cum
id habueris bene perſpectum, ſeriò
mone populum de abuſu: ſi nihil pro-
ficis per te, aut alios, tandem refer-
rem ad Episcopum, & exequere, quod
iſſerit. Huc etiam illud pertinet, ne

tu novas leges, aut consuetudines inducas, quouis pietatis prætextu: cuiusmodi essent statuta populi ieiunia, vacatio à diurnis laboribus, publicæ Processiones extraordinariæ, &c. Tum quia nouitates in communitate odiosæ esse solent, tum quia propriè spectant ista ad Episcopos.

NVM: VIII.

Tertium principium generale.

Vbi res anxie inciderint, quæ tuum munus attingunt, neq; libri Rituales, aut Consuetudines resolvunt, ad Episcopum recurrito.

Incidunt non rarò res grauioris negotii, ac momenti, perplexæ, quibus te ex libris Ritualibus aut Consuetudinibus receptis expedire nequeas: recurre tunc ad Episcopum, siue ipsius in Spiritualibus Vicarium, aut ad Statuta Synodalia, si quæ de iis rebus extant, & iuxta illa statue: responsa autem conscribe, annotato an-

no, mense, die, quidue executus fueris : vt si rationes reddendæ fuerint, habeas, quo te tuearis.

In hoc genere sunt, si quæ reliquæ de nouo exponendæ, aut indulgentiæ publicandæ, aut deprædicanda noua miracula; si ædificandum, aut pingendum in Ecclesiâ, antequam Episcopus ideam viderit, & approbârit. Quod si verò Visitator, aut Commissarius veniat, qui se Apostolicum nominet, & adferat quædam fulminatoria, vel edicta statim exequenda sub excommunicatione, excipies, & habebis beneuolè, si nullam fraudem deprehendis: & mox quàm citò fieri potest, monebis Episcopum, si ipsius consensum non habes: interim attende ad literas commissionis, quas ille Apostolicus ostendere debet; & caue, ne quid ultra mandatum, aut facultatem agat.

NVM: IX.

Quartum præceptum generale.

Vbi

*Vbi prædicta non inuant, in rebus perplexis
rationem in consilium aduoca.*

FIt quoq; non rarò, vt res graues, & perplexæ, neque ex Rituali, neque Consuetudine, neque ex Statutis Synodalibus, aut Episcopi rescripto resolui possint, ergo cum Moyse recurrere ad oraculum, ad preces, inquam, & ad Deum, ad Doctores præterea, siue libros Doctorum; aut in consilium aduoca è viciniâ alios Parochos, si qui sint expertiores, quòdq; iudicaueris rationi magis consentaneum, sequere,

C A P V T II.

Instructiones circa Baptismum,
& Confirmationem.

NVM: I.

De necessitate Baptismi, & curâ illius.

HÆc est ianua reliquorum Sacramentorum, sine cuius re vel voto suscepti gratiâ, extra priuilegium martyrii, nulli salus obtingere potest. Hinc intelligis, quanto studio, quâue

D

dili-

diligentiâ incumbendam ex officio tibi
sit, ne dum es absens, aut cunctaris, aut
aliquid ex requisitis ad valorē præteris
infans, præsertim tuâ culpâ, æternū
pereat. Quia verò sæpe accidit
repentini casus, quibus ob necessitate
Laici baptizare debeant, populum de
râ, captatâq; occasione diligenter in-
strues de intentione, materiâ, & for-
mâ, quam expedit, magis vt lingu-
vernaculâ sciant; monebîsque, vt
mul eam proferant, cū aquam cor-
pori ipsi affundunt, neque vnus pro-
nuntiet, alius abluat; si aqua glaci-
ta sit, liquefaciant; si frigidior, quam
vt infans ob infirmitatem pati queat
nonnihil calefaciant; si benedictam
aquam habent, eâ vtantur, alioquin
alia in necessitate sufficit. Præterea
infans necdum sit ex vtero egressus, &
tamen periclitetur, caput abluant: si
minus, manum, aut pedem, aut quam-
cunq; aliam partem corporis, si quid
amplius non possint, cum intentione
effici-

efficiendi, quantum eo casu possunt :
sive manu, sive aliquo instrumento,
quâvis deniq; arte aquam admoueant:
ita tamen, vt postea, quid & quomo-
do circa illum baptismum fecerint,
Parocho referant. Hæc verò omnia
magis scire debent obstetrices, ideòq;
priusquam ad munus obstetricandi
admittantur, & aliàs subinde, inter-
rogabis, an sciant ea, quæ ad ritè bapti-
zandum necessaria sunt; præterea à
perito artis examinandæ, & instruendæ
de iis, quæ ad illam artem perti-
nent: vt infantes ad baptismum per-
ueniant, plurimùm id refert: item, vt
quantum fieri potest, Catholicæ sint,
& probæ, nam hæreticæ minùs fortè
de necessariis curant; improbæ verò
subinde deprehensæ vti maleficiis, aut
superstitionibus.

NVM: II.

De matrum scissione.

VT infans vtero clausus baptizari
possit, mater viuens excindi non

D 2

fo-

solet, nisi ob culpam eo supplicii
dignam. Mortua debet, si foetus
adhuc spinet; constare autem possit
matrem exspirasse. Id exploratur;
cordis motus, pulsusque omnis cesset,
si halitus planè interclusus. Cessante
motum deprehendes vitro aqua ple-
no, si cordi superpositum sit, & nihil
effundatur: halitum verò defecisse,
plumula ori admota nihil moueat
aut si nitidum speculum ori applica-
tum, ne hilum quidem inficiatur: et
autem magis mors exploranda, quod
parturientium deliquia subinde di-
turniora sint.

Porrò infantes in vtero non
rarò aliquamdiu superuiuere matri-
bus, Medici docent, & compertum
olim in Cæsare, cui nomen ea res fe-
cit, & non pridem in filiola Mariae
Augustæ, quæ sectâ matre tanto spatio
superfuit, vt Christiana mori posset.
An verò in vtero superuiuat foetus,
obstetrices, & peritæ aliæ foeminae ob-
ser-

seruant ex aliquo motu , quem diligenter explorent.

In toto hoc negotio primò attendendum est, vt moriente matre, clauē, vel lignello labiis dentibúsq; obiecto, vel simili arte, caueatur, ne proles inclusa suffocetur, quod accidit facillimè: item in promptu adsit Chirurgus probè expertus, & aliquis cum aqua promptâ; ille vt fecet, hic vt baptizet, nam híc mora mors est. Locus non sit patens vehementi aëri, quem tener foetus vix patiatur. Deniq; si de vitâ dubitetur, baptizans conditionem in baptizando apponas, *si vivis.*

Cura quidem, & procuratio sectionis, cum matre mortuâ putatur, superstitem esse foetum, iudicio eorum, qui id nôrunt, explorare propriè pertinet ad patrem, domesticos, consanguineos, aut ad alios ex charitatis officio, si adsint: si tamen nemo alius id agat, tibi Parocho ex singulari cau-

sa incumbet : quare, si opus est auctoritate Magistratûs, aut comminatione delationis ad Episcopum, quoque modo rem vrge, huiûsq; diligentia testes adhibe, vt de præstito tuo officio constet. Multa, inquires, mandas : verum est, sed tanti est, infanti extremè periclitanti Parochum non defuisse.

NVM: III.

De partu monstroso.

SI partus prouenit ex patre bruto, matre homine, ne baptiza; brutum est, non homo. Si bestia foemella peperit ex viro, baptiza saltem sub conditione, *si es homo* : quòd si duo humana capita, vel humana pectora compareant, primò vnum baptiza, & mox alterum : Sed hoc sub conditione, *si due adsint anima*. Verùm in potentosis eiusmodi foetibus consultum est consulere Episcopum, audirèque Medicos, si tempus patitur; præsertim si caput, aut pectus non sit humanum,

num. Si res vrget, & dubium remanet, baptiza; sed sub conditione, *si homo es.*

NVM: IV.

De rebaptizandis, à laicis, vel obstetricibus in necessitate baptizatis.

Neminem ritè baptizatum rebaptizes, ne fias sacrilegus, & irregularis; si tamen meritò dubites de valore prioris baptismi, & post diligentem inquisitionem remaneat rationabile dubium, aliquid defuisse circa debitam intentionem, materiam, aut formam, rebaptizare debes sub hac conditione, *si non es baptizatus.* Deprehensum est, non modò ab aliis rudioribus; sed etiam ab obstetricibus peccari in baptizandis infanzibus; quòd multi, quæ necessaria sint, ignorant, quòd nonnullæ in kindu dæmonis, aut quòd res sacras minùs æstiment, in necessariis errârunt: accedit præterea in repentinis illis casibus tanta perturbatio; vt multa tumultu-

80 *Institutionum Pastoralium*
ariè, & confusè agantur etiam à peri-
tis; & obstetrices quidem, etsi postea
videant se errâsse, mentiri possent Pa-
rocho, ne de malè actò negotio acriùs
reprehendantur. Ob has causas, &
exempla, quæ errorem non rarò de-
monstrârunt; bonorum authorum
sententia fecit: vt multis in locis ba-
ptizati ab eiusmodi hominibus reba-
ptizentur sub conditione: idq; vt fiat
præscribit pastorale Passlouiense, &
multi sapienter vsurpant: si iam adulti
fuerint, fieri poterit priuatim, aucto-
sum, vt sequaris, nisi de prioris bap-
tismi valore tibi planè constet.

NVM: V.

De pueris expositis.

Similiter, similésq; ob causas pueros
ad ianuam templi, ad hospitale,
vel alibi expositos baptiza, nisi
de baptismo ritè collato aliunde tibi
constiterit: nam plerumq; exponunt
matres malæ vitæ, & rerum sacrarum
igna-

ignaræ. Et licet subinde scriptum collo appensum sit hac formulâ, *baptizatus est*, tamen, quia inde non constat, an validè baptismus sit collatus, tutiùs ages, si iustam suspicionem aquâ baptismali diluas. Ita filii Christianorum parentum inter Turcas, aliòsue infideles nati, & educati, cum è captiuitate liberantur, nisi ritè baptizatos fuisse constet, sub conditione rebaptizantur.

NVM: VI.

De baptizatis ab hæreticis.

Fide quidem constat, hæreticos validè baptizare, si debitam intentionem, materiam, & formam adhibuerint: sed an adhibuerint hîc & nunc, sæpe relinquitur incertum: præsertim in locis, vbi Catholici publicam religionis suæ professionem non habent. Deprehensum aliquando, nobilium infantes ab hæreticis aquâ rosacæ baptizari, aliquando aquam ita

D 5

negle-

neglectim aspergi, ut dubium sit, an aliquam infantis partem attigerit: ministrum alicubi in concione de loco superiori protulisse formam, alium è plano infantem abluisse. Aliqui Calvinistæ, cum teneant, ad infantium iustificationem sufficere verbum concionatorium, an aquâ tangant, tingantue, nihil aut parùm curât: Audiui ex viro fide digno, fuisse ex illis, qui habitâ concione affunderet aquam, nullâ prolatæ verborum formâ: alium, qui spurio à baptismo repelleret: adeò parùm sunt illi solliciti de necessitate huius Sacramenti. Anabaptistæ verò parvulos ne baptizant quidem; quæ rationes monent, ut ab hæreticis baptizati, meritò sub conditione rebaptizentur, idq; in Belgio usurpant aliqui, & generatim præscribitur in pastoralibus Archiepiscopatus Mechliniensis: si tamen adulti illi sint, baptismus Episcopo deferri solet. Hoc saltem expedit, ut in baptizatis ab hæretico, etsi

con-

constet esse validum, si tamen cære-
monix omiffæ fuerint, suppleantur
illæ; omiffâ materiâ, & formâ, si
de iis constet fuisse ritè adhibita.
Quamquam his in locis vix vsus obti-
net, vt adultis soli illi ritus adhibean-
tur, si priùs validè baptizati sint: fortè
expediret vsum induci, saltem tem-
plo occluso, nonnullis tamen præsen-
tibus. Obiter hîc nota ex communi
sententiâ, infantes, non modò Hære-
ticorum, sed etiam Iudæorum, reli-
quorúmque infidelium, certo existente
periculo, posse baptizari, inuitis etiam
parentibus: quia tùm censentur esse
extra eorum potestatem, neque; peruer-
sionis subesse periculum.

NVM: VII.

Tempus, & locus Baptismi.

ALiqui differunt infantis bap-
tismum ad octauum à partu diem,
aliqui diutiùs: causa ferè vna, appa-
ratus baptismi, præsertim absentia.

D 6

Patri-

Patrinorum, cum illustres viri expectantur, qui suscipiant: Et sunt, qui non culpent; modò interim diligenter caueatur, ne periculum aliquod vitæ, ac salutis incidat. Verùm vt vigilet nutrix, & famula excubet ad cunas; tamen graue malum est, animam infantis, qui iuuare se non potest, diutius detineri à parentibus labe originali infectam, & sub dæmonis potestate, cum citius possis asserere in libertatem: quare suaderem, ne tam procul accersant Patrinos, qui diu expectandi sint.

Quoad locum attinet, extra Ecclesiam ne baptiza, aut non nisi consulto & approbante Episcopo, aut certè nisi necessitas cogat, vel priuilegium, quale esset fortè pro virorum Principum filiis.

NVM: VIII.

De Cæremoniis, præsertim de Patrinis.

CÆremonias baptismi exactè obserua iuxta Rituale Diocesæsanum, quibus

quibus ritè peractis consultum est, quod alicubi præscribitur; vt per obstetricem, vel illam, quæ infantem ad baptismum detulit, parentes moneas, ne baptizatum nutriendum tradant Iudææ, vel hæreticæ fœminæ, & vt suo tempore curent instrui, & imbui moribus Catholicis; caueant verò interim, ne eodem lecto cum infante ita dormiant, vt forsan casu deiiciant, aut opprimant, aut suffocent. Præcipuè inter ritus attende ad Paternos, quos monebis de cognatione spirituali, quam inde contrahunt cum personâ baptizatâ, & ipsius patre, ac matre, ratione cuius oritur impedimentum inter illos, matrimonium dirimens, & consequenter specialis incestus, si inter se aliquid contra Castitatem committant: ad hoc etiam pro se aduertant Parochi baptizantes. Expediret fœminæ fœminam, masculo masculum dari in Paternos, neque multos, quò minùs matrimonii impedimenta

incurrantur. In baptismo necessitatis non adhibetur necessariò Patrinus : si adhibeatur, contrahit cognationem spirituales : cum autem post baptismum collatum suppleantur cæremoniæ, & si adhiberi possint testes aliqui, non tamen propriè Patrini ; quia tunc non suscipitur infans de sacro fonte, cum priùs fuerit baptizatus. Si imponant nomina alicuius hominis non sancti, aut ita detorta, ut sine risu, vel ioco pronuntiarì nequeant, ne admittas, neq; facilè plura, quàm duo, nisi parentes essent illustres. Referes in libro baptizatorum nomina parentum, baptizantis, patrinorum, locum, annum, mensem, diem : neq; tamen ex eo libro natalitias legitimitatis literas conficies, quæ pro certis habeantur ; quia parentum subinde nomina confinguntur, præsertim cum proles illegitima est, ut eorum nomini, & famæ parcat. Ut natalitiæ legitimæ sint, confici debent ex formâ iuridicâ auctori.

thoritate Senatûs, & notarii iurati, conuocatisq; legitimis testibus, quo optimo modo fieri potest. Quærit Layman, an hæreticus admitti possit à Catholicis pro Patrino? non est omnino alienus, si grauis causa subesset, & abesset scandalum. Ego potius omitterem, quàm admitterem: aliud est, si Catholicus sine scandalo adhiberetur Patrinus in baptismo, quem conferret hæreticus.

NVM: IX.

De procurandâ Confirmatione.

Sacramentum Confirmationis quædam est perfectio, & velut complementum characteris baptismalis; vt fidem, quam Christiani accipiunt per baptismum, generosè & fortiter retinere possint tempore tentationum, aut persecutionum. Vnde etsi Confirmare tuum non sit; tuum tamen est curatoris animarum procurare, vt tui non negligant: proinde exhortaberis
subin-

subinde populum, præsertim cum Episcopus in tuo, vel vicino loco collaturus est, ut suspiciant hoc Sacramentum, neq; post septennium ætatis nimum diu differant: quod magis vrgendum est, in partibus hæreticâ lue infectis. Quam ob rem ex Catechismo Concilii Tridentini, vel aliunde eos instrues, quid sit hoc Sacramentum, & quam vim habeat, quæ materia, quæ forma, qui ritus, quid sibi velit alapa, quam Episcopus infringit, cur frons vngatur? cur ligetur linteolo? & quid eo agere debeant, cum aliquamdiu gestârint: num cognitio harum rerum deuotionem excitat, & fructum maiorem adfert. Docendi etiam sunt, cum hoc Sacramentum sit viuorum, si conscii sibi sint peccati grauioris, præmittant veram contritionem, vel quod certius est, sacram confessionem: decet, ut ieiuni accedant, non est necesse: accedant autè modestè, reuerenter, & piè, ut par est.

Patri

Patrinus sufficit vnus, is esse debet confirmatus, contrahitq; similem cognitionem spiritualem, & matrimonii impedimentum, prout de baptismo dictum est.

CAPVT III.

Instructiones & praxes circa Sacramentum Pœnitentiæ.

PRIMA SECTIO.

Quædam generaliora.

NVM: I.

De Scientiâ, Loco, & Habitu Confessarii.

Scientia Casuum hîc opus est. Studetis præsertim, vt versatus sis in distinguendis peccatis mortalibus à venialibus, & quæ mortalia specie sint diuersa: item, qui casus sint reseruari, qui annexam habeant censuram, quod onus sit restitutionis. Sanos ordinariè audies in Ecclesiâ, nisi subinde ratio aliud exigat, & quidem loco parenti, neq; obscuro: asserculus confessio-

fessio-

feffionalis ad audiendum perforatus, vultum tuum à pœnitentibus, præsertim fœminis, ita separet, vt audire, non item videre possis; neq; enim decet: vt minimùm manu, & strophio interpositis coërceas aspectum. Decet, vbi, & quando mos est, superpellicio, & stolâ conuenienter, saltem veste Clericali indutum, confessiones excipere. Cùm ad altare pro sacrificio accesseris, non facilè aurem præbeat confiteri volenti, tum ne sacrificium interrumpas, tum ne longior fieri debeat mora, aut neganda sit absolutio, non sine pœnitentis, & fortè aliorum perturbatione. Quoad infirmos attinet, maiori opus cautelâ, si in lecto iaceant, decenter sint cooperti, locus sit neq; obscurus, neque planè obseratus, ad sit præsens aliquis testis, neque nimia mora trahatur, præsertim cum fœminis, exulêtque omnis leuitas, aut familiaritas: later hîc serpens: nihil promius, quàm spargi, & hauriri venenâ,

&

& quanto tunc periculo salutis alterius?

N V M: II.

Qui audiendi?

TVos audies, non alienos, nisi horum superior eam tibi potestatem delegarit. Censetur id fecisse pro casu necessitatis, item pro iis, qui in tuam Parochiam religionis causâ peregrinationem suscipiunt, aut illac iter faciunt, modò non dolo malo, vt proprium pastorem refugiant. Vagi, qui nusquam sedem certam habent, tui sunt, quamdiu inter tuas oues versantur. Religiosos audire potes, si facultatem à Prælato acceperint. Sacerdotibus sæcularibus consuetudo alicubi permittit, vt cuius approbato confiteri possint, & absolui à casibus ibi non reseruatis. Monendus hîc mihi es obiter, mi Neo-paroche, ne sine rationabili causâ miseris, & pauperibus nobiles, & diuites præhabeas, illos extrudas, hos intrudas: offendit enim

hæc

hæc indiscreta discretio: aduerte etiam obiter, etsi delegare possis tuam iurisdictionem alteri ad tuos audiendos: debere illum esse ab Episcopo approbatum ad audiendas confessiones.

N V M: III.

De surdis, mutis, aut lingua ignaris.

Surdorum confessionem eo loco excipe, vbi cum iis loqui sic possis, vt alii audire non possint. Clamare solent ipsi, quòd putent etiam ceteros malè audire: mone eos, vt modestiùs loquantur. Quòd si ita capi sint auribus, vt nihil omnino percipiant; signis, & nutibus agendum, insinuandúmq; grauium peccatorum numerum in digitis ostendant: poenitentiam verò illis significa ostensione, verbi gratiâ, Rosarii, vel alio signo. Si nòrunt legere, & scribere: scripto interrogare, & quædam monere potes, & ipsi confiteri possunt scripto, si velint; nam saltem extra periculum
mortis,

mortis, nemo ad id tenetur, ob periculum sigilli frangendi: quam obcausam neq; ignaro linguæ quis tenetur confiteri per interpretem, saltem extra articulum mortis. parq; ratio est de mutis; nutibus tamen & signis uti debent; iisdemq; uti debebis; partim ut peccata cognoscas, aliquo modo, partim ut pœnitentiam iniungas.

Quòd si nihil in particulari de peccatis exprimere possint, ostendant saltem voluntatem confitendi signo aliquo animi pœnitentis, ut tunctione pectoris, flexione poplitem, coniunctione manuum, sufficietque, ut absolvas, atq; ad id illi tenentur, præsertim si periculum mortis id exigat. Eodem modo agendum tibi, si accesserit pœnitens planè ignarus tuæ linguæ, neq; interpretem habeas, aut eo uti nolit: conabere tamèn semper, saltem aliquod peccatum, quantumvis leue, extorquere. Planè simul mutus, & surdus à natiuitate, cùm nihil cognoscat

de

de hoc Sacramento, non video, quare ratione absolui possit. Tu vide, an ex gestu signum aliquod sufficiens deprehendere possis.

NVM: IV.

De accedentibus in habitu inconuenienti

SI qui ad confessionem accedant habitu, ornatuue corporis malo, si venialis est vanitas, aut fastus, ne repellere: repelle autem, nisi dolorem præmittant, emendationemque promittant, si habitus ille, vel ornatus sit mortaliter malus, vel quia vehementer libidinem excitat, aut gestatur animo libidinoso: quod si poenitentem ornatum illum offerat in bonum ecclesie, aut pauperum, ne sic quidem admittat, nisi saltem priorem formam destruat. Gladio accinctum confiteri, etsi minus decet; de se tamen cum Sacramento non pugnat.

NVM:

N V M : V.

De pueris, aut adultis rudioribus, præcipuè rusticanis.

SI quos ad eò rerum ad salutem necessariorum rudes deprehendas : ut ignorent esse unum DEVM mundi creatorem, & gubernatorem, qui bonos post hanc vitam præmii, malos puniat, ne priùs absolue, quàm id sciant : facile est, id paucis edocere, difficilior, ut intelligant esse trinum in personis, ex iis Filium natum ex Virgine, nobis redimendis passum, ac mortuum resurrexisse, quæ tamen omnino esse ad salutem necessaria aliqui Theologi existimant: itaq; id etiam effice, ut hæc quoque, confuso saltem modo, credant. Reliqua mysteria, quæ ex præcepto addiscere tenentur, saltem quoad rei substantiam, & prout in Symbolo Apostolorum continentur, si discere neglexerint, se accusent, proponantq; daturus operam,

ut

vt addiscant, vti etiam orationem sal-
tem Dominicam, præcepta Dei, &
Ecclesiæ, & quæ sint Sacramenta. Sci-
re in particulari debent, Sacramentum
pœnitentiæ vnum esse ex septem à
Christo institutis, prærequiri examen
conscientiæ de peccatis, adferri debe-
re detestationem, & dolorem, cum
 proposito vitæ melioris, confessionem
 peccatorum mortalium debere esse
 quantum fieri potest, integram: qua
 omnia sigillatim explicare, tunc pri-
 mum, cum ad confitendum accedunt,
 operosum foret. Quare, vbi plures
 sunt eiusmodi rudiores, vt in pagis
 sunt pauperes, & qui pecoribus custo-
 diendis vacant, itémq; pueri, & puel-
 læ, qui neq; in scholis, neq; in lectio-
 ne catechisticâ erudiuntur; congre-
 gabis illorum plures simul, circa præ-
 cipuas anni festiuitates: vt per te, vel
 alium idoneum de credendis, scien-
 dis, deq; ratione confitendi instruan-
 tur. Ne tamen imiteris nonnullos,
 qui

qui pueros, & puellas conuocant, & publicè confiteri iubent, vt ita instruant: sed si confessuri sunt, priuatim, & ad aurem excipe, & examina; tum, quos videris capaces, absolue, ne gratiâ Sacramenti fraudentur: si dubitas, appone conditionem, *si capax sis, & dispositus.*

NVM: VI.

De indispositis propter excommunicationem.

EXcommunicatione maiori innodatos non priùs à peccatis absolues, quàm eo vinculo absolueris, si potes: alioqui remitte ad Superiorem, penès quem residet ea potestas, nisi vrgeret mortis periculum; tunc enim potes, & probabiliter eo saltem casu, quo annuæ Communionis præceptum premeret, neq; absque scandalo omitti, neque Superior adiri posset sine graui admodum incommodo, essetque excommunicatio occulta (alioqui fieret scandalum) absolues autem cum on-

E res;

re; vt cum poterit, se sistat ei, pene quem propriè est potestas absoluendi ab excommunicatione, promittatque serio facere satis parti læsæ, si quæ laesa est.

NVM: VII.

De indispositis defectu sufficientis examinationis conscientia.

Certum est, ad confessionem praequiri conscientia examen: ceterum setur enim noluisse integrè confiteri qui sine eo imparatus accedit. Sufficiens tamen, quod prudentis iudicio moraliter sufficere videtur, considerati circumstantiis, ingenii, iudicii, memoriae poenitentis, temporis ab ultimâ confessione interiecti, consuetudinis peccandi grauius aut leuius, diligentia, vel negligentia in excutiendo identidem conscientiam, conscientia denique tenerioris, aut laxioris. Si deprehendis poenitentem ex graui culpa neglexisse examen moraliter sufficiens, primùm monebis, vt hoc ipsum

ipsum peccatum neglecti examinis,
& indigni ad Sacramentum accessus
confiteatur, remittesq; illum ad exa-
men diligentius, si speres concessio-
tempore paratiorem rediturum: sin-
minus, mone, vt imposterum accedat
paratior; interim interroga circa ea,
quæ ab hominibus istius status, & con-
ditionis peccari solent, ita enim sup-
ples examinis negligentiam; & saepe
fit, præsertim in rudibus, vt quò plus
temporis in exæcutiendâ conscientia
per se impendunt, eò se intricent ma-
gis: alii confusione repulsæ exarcer-
bati ne redeunt quidem: itaq; ne fa-
cile remittas, quando defectum sup-
plere potes: mone tamen prius, vt
temerè non respondeant ad interro-
gata, sed sumpto ad id breui saltem
morulâ, utq; bonâ fide agant: &, vt
si aliquid graue in memoriam re-
deat postea, id in proximâ con-
fessione exponant.

De indispositis defectu debita integritate

Nonnulli, præsertim cum suo Parocho confitentur, licet ex nulla causa sufficienti, præ vano pudore, & puerili metu quædam celant grauiora, præsertim in peccatis luxuriam, aut si quam iniuriam grauiorem Parocho, vel Ecclesiæ parochiali clari intulerint. Si quid tale suspiceris, fructu ex conditione pœnitentis, siue ex modo confitendi, suggere animos, & stimulos suauiter admoue, & hortare; quidquid conscientiam mordet, aut pungit, confidenter exonerent: ita liberandam conscientiam, alioquin excarnificandam; nullum esse peccatum tam enorme, quod Deus non remittat confitenti, confessarios non offendat, imò eò magis beneuolentiâ affici erga eos, quos vident candidè, & sincerè suorum criminum pœnitentes; denique Deum non latere, quidquid in con-

scien-

scientiâ latet; & olim in die iudicii, apertis conscientiarum libris, omnes, & ipsum confessorium de re totâ cognituros. Ita pusillanimes illos animando paulatim, & quodam velut artificio ad liberè confitendum primùm allicies, mox etiam elicies, quod silentio premebant, facièsque, vt hoc etiâ, quod celare voluerint, fateantur.

NVM: IX.

De indispositis ob defectum doloris.

Iam verò, si ex modo confitendi, aut aliunde vides, confessionem per modum cuiusdam narrationis, aut historiæ fieri, neq; proficisci ex dolore animi pœnitentis, proponentisq; vitâ meliorem, alii erunt admouendi stimuli Primò significabis dolorem verum, & intimum planè requiri ad peccati remissionem; confessionem alioqui non prodesse, imò fore sacrilegam. Deinde suggere ea, quæ ad dolorem de peccatis, vel cor saxæum mouere

debent : sunt autem summatim hæc
 turpitude peccati, quod veluti quod
 dam monstrum est deprauatæ volun-
 tatis, cuius deformitatem si oculi
 cerneret peccator, horreret profecto
 & cane peius, & angue detestaretur
 præterea peccatum quidam est con-
 temptus supremæ Diuinæ Maiestatis
 & contra ipsius sanctissimam legem re-
 bellio; quæ iniuria, eò haberi debet
 maior, quòd sit coniuncta cum summi
 ingratitude, imò' perfidiâ: ideoque
 meritò peccator priuatur gratiâ, &
 amicitia Dei, fitq; ei exosus, reusque
 æternæ damnationis, nisi resipiscat.
 interim subest potestati, & tyranni-
 di dæmonis, quo statu nil esse potest
 miserius.

Sed nihil magis excitare debet de-
 testationem, & veram cordis contri-
 tionem, quàm quòd peccatum sit of-
 fensa summi boni, super omnia ama-
 bilis, & cui repugnat infinitâ quadam
 malitiâ peccatum saltem mortale.

Habes

Habes mi Neo-paroche, veluti in pharetrâ iam sagittas, quibus cor peccatoris impœnitentis atterere, imò conterere possis: vtere his, illis, hoc, illòue modo, vt opportuniùs fore iudicabis.

NVM: X.

De Proposito, Recidivo, Occasionum fugâ.

Cum dolore requisito includi debet propositum vitæ imposterum emendandæ, ad quod magni præsertim peccatores, minùs attendunt, ideòque tibi maximè laborandum, vt id efficaciter proponant, utq; remedia adhibeant, quæ suggeres, vrgebisque, vt occasiones fugiant, ne in eadem præcipites agantur, & per annos plurimos relabantur. Nihil molestius confessario, quàm cum canibus ad vomitum, & suis ad volutabrum toties redeuntibus: quid enim agas isto homine, qui viginti, triginta, eoque amplius annis, grauia, & enormia, &

quidem eadem confitetur, æquè semper remedia negligit, in easdem se occasiones volens induit: quomodo te, vel illum isto labyrintho expedies? Recidere in leuia, humanum est; nonnunquam labi in grauiora, tolerabile, præsertim si sponte non captantur occasiones propinquæ: facilius enim est eiusmodi absoluere, si recidant, modò eo sint animo, vt magis cauere velint. Labor, & opus cum iis, quæ occasiones proximas, vel de se malas, vel quæ eos proximè ad malum inducunt, euitare negligunt. Sunt autem eiusmodi societates quædam, quæ ad relapsum impellunt, domi familiaritas cum lupâ, contubernium cum vxore Putipharis, & eiusmodi. Quòd si tamen eæ occasiones, neque sint quæ sita vltro, neq; de se malæ sint, neque sine graui incommodo ex loco, aut periculo pœnitens exire possit, absolues, quoties redibit verè pœnitens; ita animo paratus, vt seriò consensum velit

cohi-

cohibere, quantumcunq; occasio impellat: item fugere, quantum poterit, seq; contrà præmunire, atq; obarmare precibus, ieiuniis, eleemosynis, aliisq; bonis operibus; præsertim frequenti usu confessionis, & sacræ communionis; minúsq; eris difficilis, si aduertas aliquam in dies fieri emendationem.

NUM: XI.

De Repetitione Confessionum.

Nonnunquam confessiones de totâ vitâ instituuntur, aut de magnâ illius parte, ex honestâ causâ quidem; sed absque necessitate, nimirum ad maiorem suâ confusionem, demissionem animi, & intensiorem dolorem de prioribus peccatis, licet ritè aliquando confessis; præterea ad quietem, & securitatem conscientiae in horâ mortis. Hic tamen prudentiâ opus est; neq; enim semper id fieri expedit, scrupulosi eiusmodi confessio-

E 5

nibus

nibus se intricant magis, quàm extri-
cant; neq; consulendæ faciliè fœmi-
nis, quæ impudicè vixerunt, si existi-
mentur ritè confessæ, quia maiorem
foetorem exhalant cloacæ, quando
mouentur. Sunt, qui ex libris, quos
specula confessionum vocant, ad con-
fessiones eiusmodi generales, vtantur
imprudenter, cùm discernere ægrè
possint, quæ & quomodo ad se pec-
cata in illis scripta pertineant; atque
ita & se, & confessarios confundunt,
& quædam narrant, quæ non patrâ-
runt, aut supra modum exaggerant:
addiscunt verò subinde, quæ eos igno-
rare satius esset. Itaq; non faciliè per-
mittes confessionum non necessaria-
rum repetitiones, nisi diligenter cau-
sam cognôris, & pænitentis conditio-
nem, iudicium, prudentiam, simulque
instruxeris de modo, & methodo, quæ
seruari debet; alioqui si rectè & pru-
denter suscipiantur, consulendæ sunt
& laudandæ: minúsque tibi auditu mo-
lestæ,

lestæ, quòd ea iam ritè semel confessa
minorem curam confessarii permit-
tant. Maior molestia, & impensior
cura à te exigitur, cùm confessiones
necessariæ repetendæ erunt: quod ac-
cidere potest ex variis causis; si prio-
res nihil valuerint; si grauia peccata
omissa defectu examinis, ne; ea ne-
gligentia suppleta sit: si poenitens ali-
qua eiusmodi turpi pudore tacuit,
quod fatendum erat: si de grauibus
erratis non doluit, aut noluit impo-
sterùm emendare, aut certè ab eo ab-
solutionem petiit, qui impertiri non
poterat. Qui errores cùm deprehen-
duntur, certum est, peccata sic confes-
sa repeti debere, & inter illa expo-
nendum, quoties sacrilegè sit confes-
sus, & quoties communicârît indi-
gnè. Accidit tamen nonnunquam, præ-
sertim in rudibus, & obliuiosis, vt po-
stea non recordentur malarum confes-
sionũ, & deinceps bonâ fide pergant
confiteri: sufficet tunc, cùm in me-

moriā redibit cogitatio confessio-
num, quæ malè fuerant factæ, earum
peccata mortalia repetere, & de iis,
sacrilegiòque commisso, ex indignâ sus-
ceptione Sacramenti, rursus se accu-
sare. Negotium sanè implicatum, li-
cebit tamen tibi, vt te faciliùs expe-
dias, sequi sententiam probabilem.
Scriptorum illorum, qui docent qui-
busdam casibus, quos apud illos leges,
dari Sacramentum poenitentiae infor-
me: his enim casibus aiunt, confiten-
dum aliquando esse defectum, ob quem
Sacramentum impeditum fuerit, ne
conferret gratiam, peccata verò con-
fessa, in Sacramento informi illis ca-
sibus non esse necessariò repetenda,
sed sublato obice, vi prioris condona-
ri: ego quidem ab hac opinione dissen-
tio. Hoc mihi probabilius; omitti
posse peccata, quæ poenitens proba-
biliter existimat vel non esse morta-
lia, vel non esse à se commissa, vel esse
ritè confessa; multò magis omittere
pote-

poterit ea, de quibus solo scrupulo ex leui, neque rationabili suspicione angitur.

NVM: XII.

De ineundo mortalium numero.

Est omnino hic numerus exprimendus; longus, fateor, & permolestus labor, præsertim in iis, qui pridem non sunt confessi, & scitent peccatis: nam longam illam telam retexere, & tot nodos dissoluere, quàm difficile pœnitenti, tam molestum Confessario. Euolues tamen quantum poteris, si mathematicè non poteris, conicies saltem circiter, plus, minúsue; prout & ipse pœnitens computabit: quâ in re monendus est, vt nonnihil pensiculatim numeret, bonâ fide, & certa certò, dubia dubiè recenseat. Quòd si res tot, tamq; variæ sint implexæ; vt ne quidem probabilem numerum designare possit: vtere tu artificio, vt summam conficias: inquire, quoties circiter, aut plus, mi-

nūſue intra menſem, hebdomadā mēſue ſolitus ſit, & quando opus eſt, (vt ſere ſit in peccato luxuriæ) quibus cum perſonis, modis, circumſtantiis, quando hæc ſpeciem peccati mutant: nam, quæ tantūm imminuunt, aut aggrauant inter eandem ſpeciem, cenſent boni Theologi, nihil opus eſſe enucleatiūſ explicari, præſertim in iſtā rerum confuſione, aut in materiā luxuriæ: vbi nimia diligentia periculoſa.

NVM: XIII.

De Confeſſionis interruptione, & dimidiatione.

CVM cœperis audire confitentem, perge, dum abſolueris, niſi ratiſnabilis cauſa interruptionem aliquam ſuadeat: parum, pro nihilo eſt; plus moræ conceditur, ſi infirmus euocet, ſi perſona illuſtris in loco interpellet, & res vrgeat, de quā monendus eſt poenitens, ne offendatur. Subinde etiam recedendum tantisper, aut differendum

rendum, cum bonâ veniâ poenitentis ad quærendam resolutionem dubii casûs, quem ipse explicare non potes. Quòd si tamen malit redire postea pro resolutione, credâsq; rediturum, absoluerè poteris, si ritè & integrè sit confessus. Cùm interrupta est confessio, & deinde pergitur, nihil opus est ea repeti, quæ rectè confessa sunt, modo saltem confusam memoriam retineas eorum; vt pro iis satisfactionem imponere possis. Consultius tamen est, in fine confessionis illa iterum subiici clauibus hâc vel simili formâ: *de prius, & nunc confessis doleo, petôq; absolutionem.*

Porro dimidiare confessionem, id est, partem mortalium confiteri, à quâ absoluas, partem aliam relinquere, à quâ tu, vel alius postea, non licet, nisi rationabilis causa subsit, qualis non est frequentia poenitentium in magnâ celebritate Festi: satius enim est paucos bene confitentes audire, quàm multos

multos malè : si tamen tantus est affluxus , aut alia ratio festinationem urgeat, mone pœnitentem , vt superflua resecet, mortalia sola recenseat, è venialibus paucula : iuuerit etiam vti interrogationibus succinctis , minùs necessaria pro remediis in aliud tempus reiicere, monito pœnitente, vt interim conquiescat, studeátque vitam corrigere. Specialis quæstio est, an aliquando ob casus reseruatos confessio dimidiari possit : quod iam videbimus.

NVM: XIV.

De Casibus reseruatis.

SOla mortalia reseruantur ; & summo quidem Pontifici sola illa, quæ annexam habent excommunicationem ipsi reseruatum : vnde si excommunicatio illi non reseruatur, aut reuerà non fuit incurfa propter ignorantiam censuræ, vel certè fuit aliunde sublata , desinit peccatum esse reseruatum. Inter reseruata Pontifici, & quæ

quæ ad omnes pertinent, maximè vsui sunt, quæ in Bullâ Cœnæ continentur, vbi, & quatenus ea est recepta : similiter percussio grauis Clerici aut Religiosi, simonia etiam illa, quæ confidentialis dicitur : præterea duellum, vbi Clementis VIII. bulla in vsu est ; neq; enim vbiq; viget ; reliquas excommunicationes Pontifici reseruatatas vide apud Auctores de Censuris : quia verò excommunicatio requirit pertinaciam contra præceptum Ecclesiæ, imò & notitiam censuræ in pœnam adiectæ, plurimi, præsertim rudes, cum ignorent, quanam sub excommunicatione prohibeat Pontifex, eam non incurrunt, etsi peccent fortassis aliunde : ideòq; , cum tunc non reseruentur, ea peccata à te absolui poterunt.

Episcopi etiam certos casus sibi habent, à se vel à prædecessoribus reseruatatos ; sed difficile est definire, quinam sint illi de facto reseruati, nam varii
pro

pro variis Dioccesibus referuantur; tu, cum animarum curam suscipies, fac, ut ex Vicario Generali, quinam ex illis tibi referuantur, probè intelligas.

Igitur cum ex confessione, vel aliunde cognoveris, aliquem incidisse in casum Pontifici, vel Episcopo tuo referuatum; ne perge ulterius; sed penitentem remitte ad Superiorem, penes quem est ea facultas, nisi eam delegatam habeas, vel certè obtinere possis ante absolutionem. In casibus Pontificiis quibusdam aliquid potest Nuntius Apostolicus, & pro foro conscientiae aliqui Religiosi ex priuilegio, & Episcopus in quibusdam occultis peccatis, aut cum adiri Pontifex non potest: in periculo mortis nihil referuatur. Probabile est, quòd si urgeat præceptum annuæ confessionis, aut communionis, & desit copia illius, qui referuata absoluat, possis audire ea, quæ habet non referuata, eo cum onere, ut deinde adeat eum, qui in
alia

alia iurisdictionem habet, à quibus
absoluatur. Sunt, qui velint, vt etiam
reseruata eo casu audias; non video
cur necesse sit, cum ab iis absoluere nō,
possis, neq; cogi debeat pœnitens ea-
dem bis fateri: satisfactionem itaque
impones pro iis, à quibus directè ab-
soluis: Superior pro iis, quæ ad ipsam
deferentur. Si peregrinus ad te defe-
rat casus, in suâ solùm Diœcesi reser-
uatos, non in tuâ; absoluere poteris:
quia ibi, non tibi reseruantur.

NVM: XV.

*De obligatione ad interrogandum
pœnitentem.*

Generatim obligat officium Con-
fessarii, vt pœnitens ritè confi-
teatur: atq; ad id attendere debet, si
quem defectum in illo deprehendat.
Itaq; primò, cum aduertes, pœniten-
tem omittere graue peccatum, aut
circumstantiam, quæ speciem mutat,
aut aliter, quàm intelligas, aut nume-

fuerit

rum tacere, siue id faciat malitiosè, siue ignoranter, procurare debes, vt integrè, & ritè Sacramentum administretur, appositis ad rem interrogationibus. Quare habebis animo comprehensam summam peccatorum, quæ committi solent circa præcepta decalogi, aut Ecclesiæ, ad quæ peccata etiã capitalia septem reuocantur. Placent, inter ceteros, resolutiones Pastorales nuper editæ seorsim ex Horto pastorum Iacobi Marcantii. Verùm hic etiam, vt in ceteris, discretione opus est: ea tantùm interrogas, quæ à simili conditionis hominibus, cuius est pœnitens, committi solent, cauendùmq; , ne imprudenti interrogatione pœnitentem doceas peccare, quod facile accidit in materiâ luxuriæ, cum pueri aut puellæ, aut qualescunq; fœminæ confitentur; nam si honestæ sint, mirantur, eam interrogationem sibi fieri: si inhonestæ, vndenam Sacerdos ista tam exploratè nôrit? Potius

rius excitandi pœnitentes in genere. :
vt si quid circa sextum præceptum, &
nonum peccârint, liberè & sincerè
aperiant, quidquid id est, quod con-
scientiam grauet. Si verò, oblatâ oc-
casione, aliquid interrogandum sit cir-
ca peccata luxuriæ, fiat verbis, quan-
tum ea materia patitur, castis. Sicubi
pœnitens contrâ, quàm sentias, non
putet se peccâsse, sequi debes opinio-
nem ipsius, non tuam: modò ille pro-
babiliter sentiat.

NVM: XVI.

*De obligatione ad docendum, cùm pœni-
tens errat.*

SI in rebus conscientia, aut ad
Confessionem Sacramentalem per-
tinentibus, pœnitens tuus hallucine-
tur, erret, aut aliquid eorum, quæ
scire tenetur, ignoret, docere eum
debes: sed id tunc faciendum, cùm
fructus speratur, neque maius incom-
modum, aut damnum times illi, vel
alte-

118 *Institutionum Pastoralium*
alteri, vel bono communi. Subinde
enim prudentiùs tacentur, quàm do-
ceantur quædam vitia contractuum,
obligationes restitutionum, impedi-
menta matrimonii; quando pœnitens
est in bonâ fide, & meritò timetur,
ne, si doceatur, sciens peccaturus sit,
præsertim si ex ignoratione non sit
maius malum secuturum. Verùm si
ignorat culpabiliter, docendus est,
etsi non roget. Quòd si verò inter-
roget, quantumvis timeatur, ne sci-
ens peccet, veritatem negare non po-
tes, nec omninò silere: fortè aliquan-
do licebit tergiuersari, aut prudentet
dissimulare responsum, ne de bonâ
fidei possessione maiori damno de-
turbetur.

NVM: XVII.

*De obligatione ad procurandam dispositio-
nem pro absolutione, & ad restitu-
tionem imponendam.*

SI videris pœnitentem nimio me-
tu deiectum, propositâ Dei misere-
ricordiæ

ricordiâ erige; si timidum, animes; si
præfidentem, inter spem, metumque
statue; si effutire grauia scelera, sug-
gere faces doloris, aut potius, qui do-
lorem moueat amoris, iis nimirum
incentiuus, quæ ad attritionem, vel
potius veram contritionem excitent.
Denique si peccatum obnoxium est
restitutioni famæ, honoris, bonorum,
aut damnorum compensationi, putés-
que pœnitentem, vel suâ culpâ non
aduertere, vel certè non facturum,
cùm sciat, & possit, tui quoque id
muneris est, pœnitentem de obliga-
tione monere, eamque vrgere, præ-
sertim nisi aliunde præuideas maius
malum secuturum. Quòd si verò
neglexeris monere, etsi peccâris con-
tra officium neglecta salutis tui pœ-
nitentis; non tamen contra iustitiam;
qui ad procurandum bonum alte-
rius ex officio confessarii non teneris,
ideo neque ad reparandum damnum.
Teneberis verò restituere pœnitenti

(nisi

(nisi aliunde excuseris) si absque probabili ratione pronuntiaueris, eum teneri grauiter, cum non teneretur, nisi monueris ante solutionem. Similiter si poenitentem docueris improbabiliter liberum esse ab onere restituendi, cum obligaretur grauiter, teneberis dedocere poenitentem, aut ipse alteri damnum compensare, si error tuus fuerit grauiter culpabilis; si uero minus, debebis saltem amoliri damnum lege charitatis, si absque grauiori tuo incommodo possis.

NVM: XVIII.

De imponenda poenitentia, de absolutione à peccatis, de schedis confessionum.

PARS integrans Sacramentum poenitentiae, est poena aliqua satisfactoria pro peccatis confessis, quae simul medicina sit ad praecauendum imposterum. Eam tu nomine Dei impones ex officio, quod geris, tum Iudicis, tum Medici, eamque poenitentens

rens tuus acceptare debet. Si plenarias indulgentias lucraturus est, omittere poteris satisfactionem, quæ in pœnam iniungi solet; impones tamen saltem aliquid per modum medicinæ præseruatiuæ, si id exequi possit.

Conuenit autem pœnitentiam iniungi ante absolutionem; idque fieri solet: potest tamen postea, si prius neglectum sit, quamdiu adhuc censeretur permanere idẽ iudicium. Impositam ab alio non mutabis, nisi peccata, ob quæ iniuncta est, ipse audias in confessione. Quod si ipse omiseris imponere, aut pœnitens fuerit illius oblitus, iniungere nullam poteris, nisi saltem confusam notitiam priorum peccatorum retinueris. Quod ad quantitatem, & qualitatem attinet, Concilium Trid. sess. 14. c. 8. generatim præscribit, vt imponatur, quantum spiritus, & prudentia suggesserit; pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate. Igitur hinc con-

F

sidera-

fiderabis multitudinem, & gravitatem peccatorum, inde quid poenitentis humeri valeant, quid ferre cuset; ne aut molliùs tractes, aut ne duriùs, quàm par sit. In hoc genere peccant, qui vel nimium, vel nimis parùm: postulat tamen humana fragilitas, confessarium esse mitiorem potius, quàm duriorem. Porro prudentiæ etiam tuæ erit, ut non semper omnibus peccatis easdem satisfactiones iniungas, præsertim in medicinam; neque enim iisdem mediis omnes morbi curantur: Avaros curant elemosynæ; ambitiosos exercitia quædam pietatis humiliora; libidinosos castigationes corporis; negligentes suæ salutis, preces, auditiones missæ, peregrinationes ad loca pia; gravius peccatis affluentes crebrior usus confessionis, & sacra communio: ubi & istud prudentia docet, ne imponas debilibus, quæ laboriosa sunt, aut iis, qui laborant.

gant, onerosa, vt ieiunia: nec quidquam iniungas, vnde alii veniant in suspicionem, pœnitentem grauius deliquisse. Denique ne nimium variae & multiplices, & in longum tempus pœnitentiæ cumulentur, ita vt memoriam fugiant, aut nauseam procreent. Arrident pœnitentibus, quasi vident suo animo accommodatiores, quare iuuerit nonnunquam, cum difficiles se præbent, ex ipsis quærere, quid malint, quidue possint? subinde proponere duo, aut tria, vt eligant; vt tu id, quod sibi elegerint, ex præcepto imponas. Cum habitâ ratione infirmitatis corporis, vel animi iniunges leuius aliquid, quàm alioquin oporteret; pœnitentem admone, & excita, vt aliunde per opera bona, vel voluntarias pœnitentias suppleat; offer ipse ex te aliquam partem satisfactionis subinde; mirum enim quantum hæc humanitas acerbitatem pœnitentiæ emolliat, & beneuolen-

tiam conciliet. Præterea aliqui Theologi putant hanc clausulam: *Passio Domini nostri IESU Christi &c. Quicquid boni feceris, & mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum.* eluari virtute clauium, vt ex opere operato remittant partem pœnæ: quod si verum est, neque id erit facile negligendum, & facilius excusantur qui minores pœnitentias iniungunt.

Sequitur pars vltima, eaque præcipua, Absolutio. Formulam in Rituali libro præscriptam religiosè obserua: licèt ad valorem satis sint haec duo verba, *Absoluo te,* aut saltem si addas *à peccatis.* Illâ vti poteris, cum tantillam moram non patitur. Quæ præmitti solent, *Misereatur tui, &c. Et Indulgentiam, &c.* Preces sunt liberæ: illud verò *Dominus noster IESVS, &c. Et ego auctoritate ipsius, &c.* communiter ne omittas: facit enim ad dignitatem & deuotionem, extremum illud. *Passio Domini &c. vimum*

magnam habet, etsi ex causâ etiam
omitti possit. De absolutione à Cen-
suris, consule Rituale.

Cùm vrget præceptum confessio-
nis, si pœnitens petat facultatem alte-
ri confitendi, ne facilè deneges; exi-
gere tamen poteris schedam confessio-
nis alteri factæ testem: Formula
eiusmodi schedarum esse hæc solet,
*Ego NN. audiui sacramentalem confes-
sionem NN. tali loco, die, mense, anno.*
Non expedit addi hæc verba, *& eum
absolui*; neque hoc requiri debet: quia
si non est ille absolutus, scheda men-
dacium continebit; mentiri autem
non licet: si est absolutus, & illis so-
lis hoc adscribas, quos absolueris;
cùm omittes, ingeres suspicionem
malæ confessionis, & ita sigillum
franges: satis cuiq; esse debet, si sche-
da testetur, illum sacramentaliter esse
confessum: neque propterea suspe-
ctum aliquem reddes negatæ forsan
absolutionis: si modò nulli omnino

126 *Institutionum Pastoralium*
aliâ formulâ confessionis testimonium
concedas, ne iis quidem, quos absol-
ueris,

NVM: XIX.

*De supplendis defectibus in ipso Sacra-
mento commissis.*

SI per errorem, vel obliuionem
dimiseris poenitentem, alioqui ri-
tè dispositum, non datâ absolutione
legitimâ à grauibus, neque ita proce-
dà te absit, quin moraliter censeri pos-
sit adhuc præsens, & ritè dispositus
absolue etiam nescientem; sin m-
nùs, si potes absque graui incommo-
do, aut scandalo, roga prudentes
seruato sigillo, vt tibi iterum confite-
ri velit; esse bonam causam, cur il-
lo roges: & tunc à prioribus, & iis, qui
de nouo confessus est, absolues. Si
neque hoc possis sine graui incommo-
modo, vel offensione, silebis, & Deo
committes; præsertim si ab eo tempo-
re receperit aliquod Sacramentum,

vel

vel credatur breui recepturus; eo enim prior defectus supplebitur. Quòd si tamen mors immineret, neq; vllum Sacramentum recipere posset tuus ille pœnitens, omnino monendus esset, vt confiteri velit, aperto, si opus sit, tuo defectu; ne cum vitâ de salute periclitetur. Similiter si defectus fuerit ex parte pœnitentis, vel quia sine causâ peccatum mortale reticuit, vel quia sine dolore sufficienti confessus est, eodem remedio, vt iam docui, vtaris, si defectum postea cognôris; seruata tamen sigilli religione.

Alii defectus subinde non reddunt Sacramentum inualidum, sed tantùm illicitum, si scienter admittantur: vt si absolueris à casu reseruatò inter alia, quæ absoluerè poteras, aut ab excommunicatione, à quâ non poteras, bonâ tamen fide pœnitentis: si omiseris imponere pœnitentiam debitam; non erit tantæ molis, aut oneris

ris eos emendare, cùm absolutio va-
luerit: si tamen corrigere commode
defectum possis, corriges: attendes
tamen semper, vt sigillum serues.

NVM: XX.

De Sigillo.

CAue, ne directè, vel indirectè
vlllo modo, vel vnquam, vlllo
casu, ne mortis quidem vitandæ cau-
sâ, aut prætextu cuiusuis boni, etiam
publici, sacrosanctum Sigillum con-
fessionis frangas, aut occasionem
præbeas, ne alii frangant; ideoque
arcebis eos, qui propiùs accedunt
confitenti: cauebis præterea, ne voce
altiore, aut gestu, vel alio signo assi-
stentes intelligant aliquid pertinens
ad sigillum. Frangitur autem sigil-
lum, vel reuelando peccatum mortu-
le, etiam in genere, vel veniale quod-
piam in specie, vel quodcunque, quod
pœnitens confessus est, tanquam per-
tinens ad suum peccatum in confes-
sione

sione explicandum. Præterea cense-
tur frangi, si ex eâ notitiâ, sine veniâ
pœnitentis, aliquid dicas, faciâsue,
quòd pœnitentibus pudorem, horro-
rémque, atque ita ipsius Sacramenti in-
commodum adferre posset. Facile
in his impinges: nisi linguæ frœnum
iniicias: faciliúsq; erit de auditis in
confessione omnino tacere, quàm
vel verbum loqui: cum pœnitente
verò ita agas, ac si ex confessione
non nôsses: nisi fortè de ipsius licen-
tiâ. Res hæc lubrica est: iterum
moneo, caue: præsertim si de vxore
cum marito, de liberis cum paren-
tibus, quorum confessarius es, loquen-
dum, agendúmq; sit, de iis præsertim,
quæ vitiosa sunt. In ipsa etiam
confessione frangi potest sigillum,
vt si pœnitenti aliquid narres, vnde
ille alterius, qui tibi confessus est, pec-
catum suspicetur, quod interroga-
tionibus facile contingit per impru-
dentiam: Si extra confessionem no-

F s

ueris

130 *Institutionum Pastoralium*
ueris peccatum aliquod poenitentis,
de quo loqui te oporteat, significa-
unde vel quomodo id nôris; ne ve-
nias in suspicionem reuelatæ confes-
sionis. Si quispiam te interroget de
auditis in confessione: nega, pernega,
te quicquam scire, adhibito etiam iu-
ramento, si opus est: nescis enim illa
ex notitiâ quadam humanâ, quæ sola
quæri potest, & reprehende tam im-
prudentem interrogationem: Sigil-
lum quidem non frangis, cum petis
à poenitente licentiam, vt cum eo de
confessione agere possis, & ipse spon-
te consentiat: sed, nisi graui de causa,
ne pete: nam ferè ruborem id incu-
tit, præsertim si vrgeas, cum negat.

SECTIO II.

Particularia quædam circa in-
firmos ac moribundos.

NVM: XXI.

*De preparandis infirmis ad non differen-
dam confessionem.*

Supra

Suprà monui generatim, confessiones esse excipiendas loco neque clauso, neque obscuro, id maximè curandum, cum infirmi audiendi sunt, præsertim foeminae, curandumque, si fieri potest, vt aliquis sit præsens, qui non quidem audire, sed videre possit, quid agatur. Cauenda præterea leuitas omnis verborum, vel actionum: quia hoc tempore, & loco est periculosior. Inprimis pro concione, datâ, vel arreptâ occasione monendus populus, & præmuniendus, ne, in morbis nimum differant vocare Confessarium, aut confiteri; quâ ex re non pauci maximo cum salutis discrimine, vel moriuntur sine Sacramentis, vel ita serò suscipiunt, vt exiguum ex iis fructum referant.

Solet enim dæmon, in morbis præcipuè, peccatores fallacibus argumentis inducere; vt differendo, de die in diem procrastinent, atque ita, vel malè, vel minori suo bono è viuis

I 32 *Institutionum Pastoralium*
eripiantur. Fallaciæ autem sunt hæc,
quas derege adhuc sanis, ne infirmi se
decipi à dæmone patiantur. Igitur
initio morbi hæc obtrudunt: nullum
adhuc mortis esse periculum; mole-
stiam frustra Sacerdoti esse creandam;
timidi esse animi, mortem tam pro-
cul positam pertimescere; cras viden-
dum, quid sit futurum. Ita primo
procrastinatur: die sequenti inuale-
scit morbus, aduocantur Medici, me-
dicinæ adhibentur, suggerit aliquis
ægro, an Confessarium Medicum ani-
mæ, an eiusdem medicinam con-
fessionem velit? non vacat, inquit,
iam, nec lubet: pharmaca me enecant,
cras erit melius: atque iterum pro-
crastinatur; interim malum cum die
augetur, corpus fit debilius, mens
languidior, iam cibi, iam hominum
vox & aspectus nauseam, & tædium
adferunt; caput, inquit, dolet, cor
palpitat, sinite me somnum, & quie-
tem capere, nemo me interpellat; at-
que

que ita sensim abitur à curâ animæ, & salutis longiùs, ad mortem verò propiùs; eò tandem deduxit ista procrastinatio. Has tu igitur dæmonis fraudes tam perniciosas tempestiuè aperi, simulque tartarei istius sophistæ argumenta, quæ infirmis obiicere solet, refutando dilue. Docebis itaque periculosum esse, expectare mortis ipsius periculum, Sacerdotibus molestum non fore, si temporì euocentur, negotiũ enim fore expeditius; non timidi, sed prudentis hominis esse, mortis periculum præuertere, vbi de salute æternâ agitur: rem committendam non esse incerto iactui alexæ, morbos sæpe fallere, & subito ingrauescere: coruorum vocem esse illam, *cras, cras*, Domini vocem, *hodie*: Confessarios & confessionem aptè conuenire cum Medicis, & medicinis; turpe autem esse Christiano, dum corpus curat, animam negligere, imò verò hanc ipsam incuriam animæ cor-

pori plurimum nocere : nam si conscientia remordet, si mens angitur peccatorum aculeis, si ex eo metus mortis, & iudicii animam turbat, & frangit, hi morsus, hi angores, hi aculei, & anxii metus, ipso Medicorum iudicio, vim medicamentorum retundunt, atque impediunt, ideoque Medici infirmos soluto, & læto animo esse iubent: sed quomodo solutus, & lætus esse animus potest, si etiam ipse sit æger, & suis tormentis torqueatur?

Atque hæc pro concione valent: quæ sequuntur, tui priuatim erunt muneris, tuæ curæ ac prudentiæ, prout res ferent. Cùm grauius es morbo iacere quenquam cognoueris, inquire, qui sit morbi, vel infirmus status. Quòd si aliquid periculi deprehendas, adi ipse infirmum, aut aliquem mitte, qui salutet, & his argumentis, quæ suprâ allata sunt, procrastinantem excitet, simulque fratres

des

des procrastinantium prudenter, & amicè refutet, vrgeatque confessionē. Idēque agere iubeantur domestici, quibus incumbit ea cura, cūm æger se negligit. Quòd si ipsi negligant, tunc pastorem age, ouiculam periclitantem quære, è faucibus lupi, qui iam imminet, eripe; iam modos habes, quibus id efficias. Maior erit cura adhibenda, & diligentius studium, si iam infirmus sit obstinatio, & maiori in periculo versetur; tunc enim omnis mora suspecta esse debet. Hic obiiciet ille; nunc serò esse, & propè actum, cerebrum diffluere in catarrhos, fauces strangulari, linguam hæere palato, memoriam esse turbatam, mentem confusam; velle quidem, sed nunc non posse. Tu contra ad hæc: abstine, mi bone vir, blasphemia ferè vox ista est, sanè hominis minùs de D E O sentientis: seriò age: dum adhuc spiras, spera; necdum est serò, satiùs iam, quàm nunquam: ca-
pitis

pitis, & linguæ satis est; vt possis saltem grauiora, quæ vel confuse menti occurrunt, paucis, confuse licet, expromas, si audiam, facile intelligam, neque ratio, nec Deus plus exigit, quàm morbus, & tempus hoc possit, confitere saltem aliquid, supplebo, aut tu ipse plura postea, cum poteris, absoluam interim ab omnibus, quod possum. Quid times? Sacramenta morbi vim non augent, nec infirmos mactant; quid vltra differs? Denique nihil omitte, quo persuadeas: iuuent inter hæc, breues precatiunculas ad DEVM interponere, quas te præueniens infirmus per partes recitet, dare osculandum Crucifixum, aquam lustralem aspergere, polliceri quietem maiorem, valetudinem corporis, si expediat; animæ salutem in tuto saltem locandam. His & similibus industriis sæpe contingit eos, qui respuebant, tandem ad saniora consilia ductos resipuisse. Subiiciam quædam postea cum

cùm agetur de iuuandis moribundis, quæ ad hunc quoque locum faciant, in quo diutius nonnihil versor, quòd hæc res maximi sit momenti, ex quo nimirum pendet æternitas.

NVM: XXII.

De peste, aliòue contagioso morbo infectis.

Bonus Pastor animam suam ponit pro ouibus suis: hoc Christus docuit, & fecit. Idem à te, cùm opus est, requirit officium, quod suscepisti. Opus autem est infirmis vel maximè Sacramentum pœnitentiæ, si fortè sint in statu peccati mortalis, etsi autem perfecta contritio ex vero Dei amore concepta peccatorem Deo reconciliare possit; tamen difficilior est illa, & rarior, quàm vt æternæ salutis discrimen exponi debeat periculo. Neque desunt ex prudentiâ, & arte medicâ, etiam in morbis contagiosis, imò pestiferis industriæ, & remedia, quibus vt eorum animas serues,

ues,

ues, te, & alios sanos conseruare possis, à Medicis hæc faciliora præscribuntur. Corpus nitidum sit, vestes tersæ, ne malum facilè adhærescat: aures, oculos, nares, os aceto forti, quale est ex floribus Sambuci, & c. abluere: stomacho non sis ieiuno: e collo sacculus pendeat cordi vicinus, in quo præseruatiua contineantur: similiter globulus sit in manu ita perforatus, vt in nares exspiret alexipharmaca, iuuant Angelica, Zedoaria, & c. Prudentia hæc etiam dicitur, ne subeas locum infectum, si ex limine, aut foribus, aut fenestrâ infirmum alloqui, & audire possis; si tecto subeundum, ne terreare; hîc enim plurimum apprehensio mali nocet, locus fumo idoneo purificetur, declina oris halitum, neque propiùs accede, & citò expedi: quare mone pœnitentem, esse tunc abundè satis, si paucula ex iis, quæ grauiùs conscientiam premunt, breuiter expromat, imò veniale

le aliquod peccatum, quod infamiam non creet, è vitâ priori fateri posse, si alii præsentés sint, qui remoueri non possint: imò verò suffecerit, vt saltem exhibeat signa doloris, & iis se peccatorem ostendat, petatque absolui, si aliud sine periculo infectionis, aut infamiae præstari non possit, paratúsque ille sit, cum licuerit, confiteri reliquas; imò absolueret etiam poteris præsens, licet ea signa coram te non dederit, si tamen à fide digno data fuisse acceperis.

Cum domum tuam redieris, vestem superiorem ad ignem iustra, aut muta, donec illam aquâ elueris. Vt minus periculi subeas, hortare sanos, qui sunt in loco infecto, vt foras prodeant, & aperto aëre confiteantur, priusquam corripiantur eadem lue. Suadendum idem aliis, si pestis viciniam infecerit; ita enim & ipsis, & Parocho consuletur. Video, mi Neo-Paroche, quid te angat: mortem times,

mes,

140 *Institutionum Pastoralium*
mes, ergo depone officium. Nolo, in-
quis; ergo perge animosè; præcaue ta-
men, quantum potes iis modis, quos
suggeri. Si vel sic moriêre, memine-
ris in Romano Martyrologio Sancto-
rum Martyrum numero accenseri eos,
qui pro iuuandis pestiferis vitam suam
expofuerunt.

NVM: XXIII.

De lethaliter vulneratis.

SI veneris ad læsum lethali vulne-
re; & Chirurgi, aut alii præfen-
tes, dum sanguinem sistunt, aut me-
dicamentum, ne statim expiret, ope-
rosè admouent, tibi nullam moram
permittant, vt excipere confessionem
possis: pete, vt vnum alterumue pec-
catum secretò iam aperiat breuissimè;
vel saltem signa det doloris, & desi-
derii confitendi, iisq; habitis, absolue:
deinde capta tempus, & plusculum
otii, vt si fieri possit, integrè confiten-
tem audias, & prout tempus feret, de
Viati-

Viatico, & extremâ Vnctione cura; imprimis autem age, ut iram ponat, offensam inimico condonet, Christi, Sanctorumque exemplo, sicut & ipse vult sibi à Deo ignosci: ita tamen, vt intelligat posse Iudici rem committi, modò id velit ex zelo iustitiæ, & boni publici, aut eorum, quorum id interest; non ex odio, & studio priuatæ vindictæ. Si ille, qui læsit, cupiat coram deprecari, Chirurghum, & rationem consule, an expediat; ne fortè bilis, aut alii humores ex aspectu, & verbis illius commoti vulnus exacerbent, & exulcerent animum: fortè satis fuerit, & tutius, per virum aliquem Ecclesiasticum, eius, qui læsit nomine, istud peragi, & læso id satis esse debet.

NVM: XXIV.

De periclitantibus, præsertim ex partu.

MOne populum, vt qui periculofam navigationem, vel prælium, vel periculum contagionis subeunt: itém-

itém-

itēmq; prægnantes tempestiuè sibi de Sacramento confessionis, & Eucharistiæ prouideant, priusquàm grauiùs laborent; præsertim ex primo partu, qui solet esse periculosior: quòd si id neglexerint, aut in discrimine constitutæ velint rursus confiteri, adeas: quòd si faminae, quæ obstetricantur, ita impediunt, vt confitentem audire non possis, vel res ipsa non patiatur, contentus sis, pro absolutione, vt si gna doloris, & desiderium confitendi, aut aliquod peccatum explicent, remotis iis, qui necessarii non sunt, iis verò, qui abesse non possunt, monitis, vt oculos aurēsque contineant, & quo casu aliquid intellexerint, sigillum confessionis religiosè seruent. quòd idem dici debet de pestiferis, & vulneratis, de quibus paulò antè. Iuant parturientes in periculo reliquæ Sanctorum illis applicatæ, & vota ad Deum Matrem, & alios Sanctos conceptas non oberit consuluisse.

NVM:

NVM: XXV.

De morientibus excommunicatis, Usurariis, Concupinariis.

PER Tridentinum in probabili periculo mortis siue articulo, absolueres potes quemcunq; ab omnibus casibus; quamuis alioquin Episcopo, vel Papæ reseruat sine onere, vt postea se sistant Superiori pro Sacramentali absolutione: ideóq; absolvere etiam potes ab omni excommunicatione, vt validè, & licitè absolvere possis à peccatis: curandum tamen, vt si pars sit læsa, damna prius compenset, & re ipsa satisfaciat, quo optimo modo fieri possit; si non potest, absolue; ad impossibile enim nemo tenetur: valent ista maximè, si excommunicatio sit publica. admoneatur tamen semper excommunicatus, vt quàm primum conualuerit, & commodè poterit, sistat se per se, vel alium ei, à quo alioquin erat extra mortis articulum
absol-

absoluendus, quod nisi fecerit, sciat se reincasurum in eandem excommunicationem. In criminibus præterea horrendis, ut falsarii, incendiarii, & similibus casibus Bullæ Coenæ, percussoribus Clericorum, exigatur iuramentum, quòd eadem postea non comitet, siue quòd in posterum parebit Ecclesiæ; in casibus Bullæ præterea iure de satisfaciendo parti læsæ.

De usurariis par ferè est ratio, præsertim publicis; priusquam absolvas, restituant: si non possunt, dent competentem cautionem fideiussoriam, aut pignoratitiam coram Notario; ut ea Episcopo, vel cuius intererit, consignari possit: quòd si neque hoc possit præstare, promittant se, per se, si possint, aut hæredes, quantum poterunt, facturos.

Iam verò si Concubinarius audiendus sit, dimittat prius concubinam: si autem absque scandalo iam non possit, aut rationabilis causa excuset,

cusset, promittat saltem proximâ occasione id se facturum, idque curet significari iis, qui crimen nôrunt, ne scandalizentur: deinceps verò neq; illa sola cum illo sit, neque familiariter conuerferur, & vtriusq; animus ita sit constitutus, vt consentire in aliquod peccatum nolint; atque, vt non consentiant, velint precibus, aliisque remedijs se contra tentationes tueri. Si verò concubina, aut mulier peccatrix incidat in morbum, tuto loco separetur, caueaturque, vt nemo suspectus accedat.

NVM: XXVI.

Deiis, qui amplius loqui non possunt, adhuc tamen retinent usum rationis.

QVando moribundus iam linguæ usum perdidit, videtur tamen adhuc compos mentis, & audire, vel aduertere, quæ dicuntur; imprimis per te, vel alium potiùs, cuius voci

G assue-

146 *Institutionum Pastoralium*
assueuerit, monendus est adesse Sa-
cerdotem, à quo possit absolui, no-
minùs ac si loqui posset, modò det
ignum doloris, & voluntatis confite-
di ore, si possit, & facere velit, cum
poterit; quæ voluntas in Catholicis
facile præsumitur, cum moribundus
poenitentia signa edit. Is igitur, qui
ista monet, & deprehendit, ægrum
difficiliùs audire, admoueat se pro-
piùs ad aurem, & id distinctè, atque
explicatè significet: caueat tamen
ne auditum obtundat, aut infirmum
animum conturbet inconditis clamo-
ribus: ideo autem monendi sunt
præsentia & potestate Sacerdotis
quòd aliqui ignorent, se confiteri posse
se aliter, quàm ore, aut non aduertant
præsentem esse Sacerdotem, ideoque
petentibus, an velint confiteri, ab-
nuant, quasi dicerent, non possumus
loqui: similiter molestà nimium vo-
ciferatione interpellati respicientis
vel reuuentis signa adhibent, quasi
dice-

dicerent, noli mihi obtundere, ni-
miùm molestus es.

Porro signa exigi, & dari possunt
nutu capitis, vel oculorum coniectu
in certam partem, v. g. Crucifixum,
vel imaginem B. Virginis, item tun-
sione pectoris, appensione manuum,
constanti, &c. Quando signa exhibi-
ta sunt, si mora, & locus patitur, in-
terroga de quibusdam peccatis breui-
ter, & accommodatè ad statum infir-
mi, quibus ipse annuat, si fecit: re-
nuat verò, si non fecit. Si numerum
exprimere opus sit, digitis significetur,
ita vt ceteri, si qui adsint, non
aduertant. Expedi signa doloris, &
voluntatis confitendi paulò antè alla-
ta, te præsente, exhiberi; si tamen id
iam fieri non possit, satis est, si exhi-
bita intellexeris à fide digno, siue ad-
huc præsens sit testis, siue iam absit; sed
tu non nisi præsens absolues, absolues
tamen, quia confessus est, quantum
potuit: atque hæc ex conciliis & ipso

148 . *Institutionum Pastoralium*
Rituali Rom: Pauli V. comunissimò
vfu plusquam satis constant. Diffic
lior est casus, qui sequitur.

NVM: XXVII.

*Deiis, qui neq; priùs in morbo vlla tali
signa expresserint, neq; iam exprimere
possunt, quòd ratione careant.*

CAsus non infrequens. Labitu
quis repentè in apoplexiam
aut ex equo, aut ex improviso le
thaliter vulneratur, neque petiti
confessionem, nec vllum doloris sen
sum exhibere potest, voce destitutus
& vfu rationis. Quid cum isto ho
mine ages? in eo necessitatis casu
absolui posse, & debere, præsertim
à Parocho, sub conditione, *si escapar*
eum, qui Catholicè vixerit eousque
& de quo non constet esse adhuc in ab
fectu ad peccatum mortale, docent et
professo non pauci, neque obscuri au
thores apud Dianam tom. 3. de Sa
cram. c. 8. & 9. inter ceteros citan
tur

tur Ioan. à Literatis Romæ approbatus à Magistro Sacri Palatii, & Rituale Archiepiscopatus Bononiensis : eandem sententiam tenent multi alii, quos fusè recitat Walterus Streuersdorff, S. Theologiæ Doctor, in suâ Lampade; passimque plurimi iam vsurpant. Petis, quid sentiam? Istud publicè non docerem, neq; tamen damnarem alios. Tu, qui Parochus es, in illa necessitate tuis provide, quantum, & quamdiu licet. Non dubitarem licere, si prudenter putes sensibilem aliquem dolorem præcessisse in ordine ad confessionem. Non expedit autem priorum Authorum sententiam populo in Concione euulgari: ne lentiores fiant in vocando sacerdote, persuasi se etiam sic absolui posse, cum linguæ, & rationis vsu caruerint. Verùm expedit eos scire, cum in eos casus inciderint, vt subito Sacerdotem vocent, posse tum eos iuuari Sacramentis, & iis modis, quos Sacerdotes nôrunt, saltem

G 3

extre-

extremâ Vnctione, quæ talibus negari non debet: deprehenduntur enim multi in eo errore, qui putent, Sacerdotes nihil ampliùs posse, cùm moriens linguâ, & ratione destituitur: qui error cùm periculosus sit, per te tolli debet.

De pœnitentiâ morientibus imponendâ, nihil est quod te moneam, res ipsa loquitur: si rationis sunt adhuc capaces, & morula patitur, impones saltem aliquam, ne Sacramentum maneat imperfectum: & quàm facilè, si ore non possint, corde saltem profertur has voculas *IESVS, MARIA,* aut *fiat voluntas tua,* aut *credo Deus meus in te, spero in tuâ passione, amo te ex corde meo super omnia?* neq; operosum erit formare signum Crucis, exosculari crucem, aut aliquid imponere in futurum, si conualuerint.

NVM:

NVM: XXVIII.

*De facultate dispensandi in nonnullis Ec-
clesia preceptis.*

REducitur hæc potestas ad potesta-
tem clauium : quare huc etiam
pertinet. Duo, aut tria sunt eius-
modi, circa quæ quibusdam ex iustis
causis aliquid potes, non tantum cum
causa euidentis est, declarando, & inter-
pretando legem non obligare; sed et-
iam cum nonnihil dubia, in iis dispen-
sando certis casibus; vt laborandi die
festo, diebus abstinentiæ comeden-
di cibos alioquin vetitos, sumendi duas
refectiones in die ieiunii; qui casus
frequentes sunt, ideoque etsi dispen-
sandi facultas resideat præcipuè in E-
piscopo, aut eius Vicario; si tamen
res vrgeat, vt adiri, aut consuli non
possit, ne animæ illaqueentur, cense-
tur ea potestas tibi communicari pro
casu saltem vrgente, modò causæ ra-
tionabiles subsint, vt necessitas, aut

G4

ingens

ingens utilitas communis plurimum, vel
 priuata alicuius, ad laborandum in
 agris pro messe vel vindemiâ, cum res
 postulat, aut cum repente fit illuuius
 aquarum, aut cum hostis imminet,
 Pro usu autem carniū diebus pro-
 hibitis idem potes, si Episcopi autho-
 ritas exspectari non possit; iudicium
 tamen Doctoris medici, aut morborum
 periti exquiri prius debet, quam di-
 spenses: nam quibusdam morbis car-
 nes nocent, aut parum profunt: si
 medicus absit, rationem in consilium
 voca, & age, quod suadet, neque sis in
 hoc genere durior.

Quoad duas refectiōnes in die ieiun-
 nii faciendas ex cibis quadragesi-
 malibus, modò aliqua causa subsit la-
 boris corporis, aut morbi, idem potes
 longè facilius, cum id non sit tantis,
 imò etiam si in loco præsens sit Epi-
 scopus, aut Vicarius, consuetudo, &
 usus alicubi id Parochis concessit.

Mulctam verò pecuniariam pro
 suis

tuis eiusmodi dispensationibus ne imponas in tuum lucrum; sordidum hoc est: faciliùs ferrem, si in aliquod opus pium sumptus moderatos pro personæ, & rei conditione iniungas, nec tamen recipies ad manum; sed alteri viro bono committes, ne in suspensionem avaritiæ venias. Quanquam author essem potiùs, si quid in locis, præsertim vbi ea præcepta minùs seruantur, exigendum sit pro præcepto opere, preces aliquas, aut pia opera alia, quàm pecuniam exigas, vt libertati saltem frœnum aliquod iniiciatur.

C A P V T IV.

Institutiones & industriæ circa Sacrificium, & Sacramentum Eucharistiæ.

S E C T I O I.

Circa Sacrificium.

N V M: I.

De obligatione ad Sacrificandum.

G 5**Sic**

Sic vitam institue, vt quotidie Missam celebrare possis; teneris sanè sapiùs, quàm alii, Dominicis saltem, & festis diebus, quibus parochiani audire obligantur: itaque per alium providebis, si ipse sacrificare non poteris: imò etiam aliis quibusdam diebus Missam facies, si fundationes id requirere, vel ex tabulis Ecclesiæ, vel aliunde cognoueris; præterea toties, quoties mos benedicendi in nuptiis, aut sepeliendi mortuum id ab officio postulat. Horam Missæ ordinariam, præsertim diebus Dominicis, & Festis, ne facile immutes, nisi præmonito populo; alioquin oriuntur turbationes, & iustæ nonnunquam querelæ.

Antequam accedas ad Altare, si conscius sis tibi peccati mortalis, quantumcunque tibi contritus videaris, priùs confitere, ex Tridentino præcepto, si adsit copia confessarii, id est, si habere, aut adire sine graui incommodo possis: alioqui si necessitas vrget,
 conte-

conteraris saltem; & deinde quàm primum confitearis.

NVM: II.

Pro quo Parochus debeat offerre Sacrificium?

TRidentinum sess. 23. de reform. cap. 1. docet, eos, quibus cura animarum commissa est, teneri pro suis ouibus Sacrificium offerre. Quare, ut minimùm in Sacrificio orare pro tuo grege memineris, præsertim cum necessitates tum priuatæ, tum publicæ exigunt. Præterea si titulus fundationis beneficii tui singulares Missas ad intentionem fundatorum postulet, fideliter exsolues, præsertim si fructus sint opimi, & huic oneri pares. Pro reliquis Missis, quæ tibi liberæ sunt, accipere poteris stipendium, lege vel consuetudine iustum: caue hinc tamen sordiciem; qualis est non nullorum, qui cum stipendium consu- maius à liberali donatore accep-

eam Missam per alium procurant pretio consueto, reliquum verò sibi seruant; sapit enim hoc nescio quid nundinationis, & audio fuisse aliquando prohibitum: multò magis caue; ne pro vnâ Missâ, cuius iustum stipendium acceperis, pro eâdem ab alio aliquid recipias: hoc dolosum est, quicquid aliqui olim in contrarium senserint.

N V M: III.

Quoties in die, & quâ horâ celebrandum?

SÆpius quàm semel intra diem non licet ordinariè: licet tamen in Natali Domini, semel mediâ nocte, iterum in aurorâ, tertiò de die: etsi priuatus Sacerdos non teneatur, nisi ad vnâ ex tribus, & illas legere possit tempore sibi commodiore: tu Paroche, quia publicam Ecclesiæ personam agis, tres leges, & quidem suis competentibus horis, vt populo commodè,

modes, nisi ratio, aut causa iusta te excuset.

Præterea si plures Parochias administras, quibus vnâ missâ satisfacere non possis; sæpius inter diem celebrare poteris, si mos ferat, aut Episcopus consenserit. Referuntur quidem alii casus, quibus liceat Parocho celebrare in die pluries, verùm vix vsus iam permittit. Porrò cùm sæpius celebrandum est, purificatio calicis in primâ missâ post sumptum Sanguinem non erit sumenda, ne sequentem missam celebres non ieiunus; sed in vase, & loco honesto reserua, vt in alterâ missâ, sumpto Sanguine, adhuc ieiunus sumas. Vt autem serues consecrandum Vinum purificati calicis in missâ alterâ, aliqui probant, quia faciunt; ego non facilè facerem: tum quia digitos eo vino ablueris, cùm fundetur in calicem, tum quia in calice ferè semper aliquid consecrati liquoris adhæret, quod vino affuso permisce-

tur : non licet autem , certè non decet, verba consecrationis proferri in materiam partim consecratam , partim non consecratam. Ob hanc causam in Natali Domini duarum priorum missarum ablutionem effundo in alium calicem ; in tertiâ missâ post sumptionem Sanguinis vinum illud purificationis calicis sumo. Suadeo tibi idem. Sunt tamen , qui primæ missæ purificationem in secundâ consecrent , & ita deinceps ; quod minùs probo : vt autem purificationes illæ populo pro ablutione distribuantur , aut in sacrarium proiciantur , improbo , ob reuerentiam sanguinis , si fortè , vt fit , infuso vino sit admixtus.

Quod ad horam sacrificandi attinet , ordinaria est sub auroram , id est , sequi hora ferè ante solis ortum , vt saltem tunc finias ; itaque incipere ferè poteris duabus horis ante orientem solem ; etiam tempestiuùs , si mos ferat , pro famulis , operariis , itinerantibus.

Imò

Imò si deesset hostia pro communicando infirmo moribundo, quia moram non pateretur, non video, cur ante duas horas solis orientis non possis succurrere necessitati infirmi. Permittit Victoria & Layman, si opus sit, etiam mediâ nocte: non licet consecrare extra Missam, aut sine veste vllâ Sacerdotali, ne quidem pro Viatico, aut certè saltem non nisi in vrgentissimo aliquo casu. Finiri autem debet Missa ad meridiem, nisi grauis causa permittat differri vltteriùs ad vnam horam. Legisse Primam ante sacrificium diligentia est, non præcepti, imò matutinum, & laudes præmississe laudaberis; non peccabis, si postponas missæ, præsertim si causa rationabilis suadeat. Consulo, vt pridie ad horam 4. pomeridianam Matutinum, & Laudes, Matutinum saltem persoluas: vt sis die sequenti ad reliqua munia Parochialia expeditior, similémque ob causam, vt manè totum officium diei expleas,

expleas,

160 *Institutionum Pastoralium*
expleas, si meritò times, ne reliquis
dies te aliis grauius impeditum deti-
neat.

NVM: IV.

Sacrificaturus sis ieiunus.

ECclesiæ hoc præceptum est, &
strictum, & stricti ieiunii: ut à
mediâ nocte nihil cibi, potusue sum-
pseris: postulat id tanti Sacramenti
reuerentia. Excusabere, si necessitas
incumberet perficiendi Sacrificium,
quod alius vel post Canonem; vel
multò maximè post consecrationem
ante consumptionem complere non
potuit, neq; alius adesset ieiunus, qui
id posset; aut si (quod facillè non acci-
det) hostia nulla esset cōsecrata, & dan-
dum esset viaticum moribundo, neq;
aliter succurri ei posset; sunt, qui per-
mittant non ieiunum sacrificare pro
communicando tali infirmo; sed alii
meliùs negant, quòd illi aliunde con-
suli possit, tum confessione sacrâ, tum

extre-

extremâ vñctione : vt non videatur
necessitas non ieiunum, sicut neque
extra Missæ sacrificium consecrare. Id
ne tibi contingat, prouidebis, vt in py-
xide, aut intra corporale loco decenti,
& nitido religiosè asserues hostias ali-
quot consecratas, pro communicandis
moribundis, habitâ ratione multitu-
dinis tui gregis : attende præterea, ne
locus, vbi asseruas, pateat animalcu-
lis, aut sordibus : quare lustra subinde,
& cùm aduerteris aliquam ex reserua-
tis tempore, vel alio vitio corruppi,
sume ieiunus, quod commodè fiet in
sacrificio ante purificationem Calicis,
& nouas consecra. Decet porrò ad
locum, vbi asseruantur, lucere lam-
padem ; quam in rem, si Ecclesiæ æra-
rium non suppetit, vide, an colligere
annuatim aliquam pecuniam emendo
oleo possis : tanti non erunt sum-
ptus, tantum verò est hoc
Sacramentum.

NVM :

*De intentione consecrãdi, præsertim quoad
minores hostias pro communica-
turis.*

Quoad primariam sacrificantis
Hostiam consecrandam, facile est
negotium: nam sufficienter intendis
eam consecrare, eo ipso, quòd te ad
Sacrificium accingis, aut ad altare ac-
cedis, & rem sacram inchoas; neque
difficultas est, si etiam tum cogitaue-
ris, & intenderis, si quæ apponentur
minores, eas vnà consecrare, modò
tempore consecrationis tibi sint mo-
raliter præsentis; suadeo tamen, vt in-
tentionem in animo renoues: cùm iam
iamque es consecraturus, super cor-
porale honoris causâ, & super aram
sacrificii locari decet: si in pyxide sint,
expedit cooperulum tempore con-
secrationis remoueri: id tamen non est
necesse, cùm præsentis fiant per pyxi-
dem, in quâ continentur: secus est, si
in

in Tabernaculo tunc essent inclusæ: non enim Tabernaculum censetur vas continens, sed arcula occludens.

Si deferantur ad altare minores post oblationem primariæ hostiæ, non est necesse repetere verbaliter oblationem, modò intendas earum consecrationem; etsi alii tunc eas recusent admittere, saltem cùm nulla est necessitas communicaturis: procurandum verò est, vt minores illæ, quæ consecrandæ erunt, nitidæ sint, integræ, & à minutiis diligenter expurgatæ, ne post consecrationem particulæ facilè decidant, aut dispareant. Non placet cum hostiis minoribus iam antea consecratis alias non consecratis in pyxidem coniici, & ita permixtas consecrari: tum quòd sacras non sacris attingi, & permisceri indecens, tum quia non satis tutum formam consecrationis proferri vnâ vice in materiam consecratam, & non consecratam; cùm non consecratæ à consecratis,

tis,

164 *Institutionum Pastoralium*
tis, quibus permixtæ sunt, sensu discerni nequeunt. Pyxis, aut Ciborium sacris hostiis non ita ad summum impleantur, ut facile inter communicandum excidere, aut efflari possint: eandem ob causam ne plures in patenâ feras, alios communicaturus. Perplexitas incidit nonnullis circa guttas vini, quæ vel extra, vel intra cuppam calicis adhærent discontinuæ ab aliis: similiter de particulis panis, quæ sunt à continuo seiunctæ, an consecratæ sint ex intentione generali priori; & an consecratæ censi debeant, si de intentione non constet: primò non decet intentionem ferri circa particulas ab hostiis integris discontinuas, aut guttas vini extra cuppam Calicis adhærescentes: cum enim sit periculosum, ne eiusmodi particulæ, aut guttulæ excidant, non videtur id conforme menti Ecclesiæ. Si tamen intendis consecrare, consecrasti: consultius esset ante consecrationem detergere.

gere. De guttis intra cuppam, nisi eas consecrare expressè intenderis, maior est dubitandi causa, quia videtur conforme menti Christi, & Ecclesiæ: vt per pronomen *Hic* in consecratione, id totum intelligatur, quod est in Calice consecrabile: saltem nisi restrinxis mentem ad solum id, quod in Calice continetur per modum continui. Ego intendo circa contentum in Calice me conformare menti CHRISTI, & Ecclesiæ. Si mecum sentias, extricabis te eâ molestiâ: quidquid sit, particulas eiusmodi, & guttas simul cum aliis consecratis ante purificationem Calicis sume, ad maiorem cautelam.

NVM: VI.

Quid agendum cum minutis particulis consecratis.

SI eiusmodi fragmenta consecrata compareant adhuc ieiuno, constat sumenda esse ante purificationem cali-

cali-

calicis, vel saltem cum illâ : si modò sint consecrata in tuo Sacrificio ; eodem enim pertinent. Sed quid ages, si vel iam ieiunus, sumptâ purificatione, non sis; vel certè deprehendas, esse particulas alterius Sacrificii antea completi? Si adhuc es ieiunus, etsi alterius sint Sacrificii, sume, ne malè pereant: si verò sint tui Sacrificii, etiam sume, quamuis iam non sis ieiunus; modò ab altari necdum recesseris, imò licèt interim populum aliquamdiu communicaueris : censetur enim adhuc persistere idem Sacrificium : quòd si verò prioris Sacrificii fuerint, neq; sis ieiunus, ne sume : sicut neque, licèt tui sint Sacrificii, si ab altari recesseris.

Quid ergo cum his agam? inquit: reconde sacro loco in tutum, donec in alio Sacrificio, à te, vel ab altero ieiunio sumi possint : si tamen tam minutulæ essent particulæ, vt asseruari sine periculo minimè possint, sume etiam non ieiunus, ne malè pereant.

Si

Si quando dubium incidat, sintne tui, an prioris Sacrificii, reputa pro tuis: non enim est suspicandum alterum neglexisse, nisi constet. Cum communicandus est populus, id facies ante sumptam purificationem calicis: nam cum remansurus sis ieiunus, eiusmodi particulas quascunque sumere poteris, sicut fit, cum ciborium à minutis eiusmodi particulis expurgandum erit.

NVM: VII.

De interruptione Missæ.

Sacrificium inchoatum interrumpi fas non est, nisi graues causæ excusent: excusant aliquæ: si ante oblationem superueniat Episcopus, vel vir Princeps, vel multitudo iter facientium die, quo ad Missam obligantur, potes ab initio repetere, vt integram audiant: si ab altari euoceris ad Baptismum, aut Sacramentum Poenitentiae, aut Viaticum conferendum ei, qui

168 *Institutionum Pastoralium*
qui periclitatur, neq; periculum moram patiatur, relinque Sacrificium, etiam peractâ consecratione, & quò necessitas vocat, propera: monebis tamen populum de causa, ne offendatur, & statues ad altare, qui obseruet, ne quod Eucharistiæ periculum interim creetur. Vfus quoque fert, vt post Euangelium concio interponi possit ante oblationem: interim depositâ Casulâ, operam dare potes confessionibus audiendis, non procul ab altari: extra concionem verò cum sacrificas, ne permittas te interpellari cuiusquam confessione, nisi necessitas imperet; quia præterquâ quòd interrumpere Missam indecens est, fortè diutius te poenitens detinebit, quàm velles cum aliorum offensione.

NVM: VIII.

De quibus monendus populus pro Concione, & de Quæstuariis, externisue Sacerdotibus.

Denu-

Denuuntianda erunt festa, & ieiunia, quæ intra hebdomadam incident, itémque si quæ publicæ preces, aut processiones instituendæ, si quæ alia Episcopi, vel Pontificis iussu euulganda, si publicandæ indulgentiæ, & alia eiusmodi. Bannorum præterea nuptialium proclamationes faciendæ: vt si quæ impedimenta aliqui nôrint, tempestiuè deferant. Res inuentas, aut perditas publicari in concione non probo, multò minùs venditiones, aut locationes domorum: ad ianuam templi ista decentiùs remittuntur: nisi res sacræ inuentæ, aut perditæ sint, aut venditiones, locationesue sint rerum, ad Ecclesiam pertinentium. Pium verò est, pias causas, moribundos, & mortuos populi precibus commendare, eleëmofynis verò pauperes, præsertim quidem Parochianos; sed eos etiam, qui aliunde veniunt, modò de suâ paupertate, & probitate testimonium exhibuerint: si exhibere non

H

pos-

170 *Institutionum Pastoralium*
possint, permitti saltem pro necessa-
rio victu mendicare tanquam pere-
grinos, modò se expediant, neque vi-
uant improbè. Quæstuariis attende,
litteras subinde falsas proferunt, fictis
nonnunquam nominibus, & sigillis:
prætendunt interim piissimas causas
pro vastato, aut incenso monasterio,
pro extruendo hospitali, pro redi-
mendis captiuis ex Turciâ, aut trire-
mibus: caue, ne tibi imponant: caue
etiam, ne omnes repellas: loca, tem-
pora, & quæ ratio dictat, expende, ne
aut veri pauperes mendaciis aliorum
defraudentur, aut quia aliqui deci-
piunt, innocentes ob aliorum impro-
bitatem luant. Ordines Mendicantes
cùm post messem, vel vindemiam eleē-
mosynas collecturi veniunt, vbi Epi-
scopi consensus, aut consuetudo fert,
beneuolè admitte, imò etiam commen-
da. Eos, qui inter mendicandum Ima-
gines, aut Reliquias exosculandas po-
pulo obtrudunt, aut Reliquias, &
qual-

quas
tando
citiùs
in rel
ad M
inger
fui fac
te; n
dente
esse c
hibuer

Da
CV
calix,
nis, i
Sacrif
quâ ra
accide
Roma
ficare,
occurr

quasdam superstitiosas preces vendi-
tando pietatem quæstum faciunt, citò
citiùs exesse iube. Sacerdotes, qui siue
in religioso, siue sæculari habitu, se
ad Missam faciendam in tuâ Parochiâ
ingerunt, sine literis testimonialibus
sui sacerdotii, & probitatis ne admit-
te; nisi ex aliis circumstantiis pru-
denter, & Sacerdotes, & probæ vitæ
esse cognôris. Episcopi pridem pro-
hibuerunt.

NVM: IX.

De requisitis ad celebrationem.

Cviusmodi debeat esse altare, qui-
bûsque rebus instructum, qualis
calix, patena, corporale, vinum, pa-
nis, in quibus vestibus fieri oporteat
Sacrificium, qui ritus adhibendi, &
quâ ratione supplendi defectus, si qui
acciderint, exactè præscribit Missale
Romanum. Sine sacris vestibus sacri-
ficare, piaculum est, neque facilè casus
occurret, quo id liceat. Denique in iis,

H 2

quæ

172 *Institutionum Pastoralium*
quæ in Missali præscribuntur, apprimè
sis versatus. Lege, relege: ea verò,
quæ i. p. c. 6. te monui circa templi,
altarium, vasorum, vestium, cetera-
rumq; rerum sacrarum munditiem, ac-
nitorem, sanctè observa.

SECTIO II.

De Communione populi ge-
neratim.

NVM: X.

*De pueris & rudibus ad sacram commu-
nionem parandis, & instruendis.*

EXpedi plurimùm, vt vel anno
ineunte, vel sub initium quadra-
gesimæ cum Ædituo, aut viro alio
gravi singulas ædes Parochianorum
tuorum obeas, & catalogum confi-
cias tum eorum, qui aliquando com-
municarunt; vt, an satisfaciant præ-
cepto comunionis Paschalis, rationem
inire possis: tum eorum, qui necdum
quidem ad sacram mensam accesser-
unt; videntur tamen reddi posse ca-
paces,

paces, atque idonei. Sunt autem hæc ferè, de quibus diligenter instruendi sunt, vt in templo, cum doctrina Christiana traditur, vel priuatim in scholis à Magistris, aut domi à parentibus.

1. Quid sit Sacramentum Eucharistiæ; quid contineat; quòd in illâ communicantes non iam panem aliquem profanum, sed sub specie panis Christum sumant. 2. Sub vnâ specie totum Christum, totumq; Sacramentum sumi. 3. Id, quod Laicis sumptâ sacrâ Hostiâ præbetur, non esse Christi sanguinem, sed vinum non consecratum, vt eo liquore faciliùs sacrâ Hostia per fauces in stomachum traiciatur.

4. Cauendum, ne vel minimam particulam Hostiæ excidere sinant, nimirum totum Christum æquè in particulâ minimâ, atque in magnâ Hostiâ contineri. Monendi præterea, vt cum conscientia peccati mortalis accedere minimè audeant; proditoris Iudæ hoc sacrilegium fuisse: ideòq; probent se

H 3

antè,

174 *Institutionum Pastoralium*
antè, & sacrâ confessione, si opus sit,
expiant. 5. Ita sint ieiuni, vt à mediâ
nocte, nihil omnino aut cibi, aut po-
tûs ad stomachum transmiserint,
6. Corporis habitu, & situ ad pietatem
composito, & quâ par est, fide, hu-
militate, modestiâ, reuerentiâ ad men-
sam sacram accedant; capite non ab-
iectè demisso, sed decenter erecto,
oculis submissis, ore non hiante, neque
occluso; in sacram Hostiam non irru-
ant, sed è Sacerdotis manu linguâ
nonnihil ad labium exterius protensâ
excipiant, dentibus non terant: câ
verò sumptâ, aliquid temporis per-
mittant orationi, neq; mox excreent,
neque statim foras ad confabulationes,
aut cibum sumendum exeant: eum-
denique diem in rebus diuinis, ac sacris
operibus piè transigant. Multa in hoc
genere non tantùm à pueris, sed etiam
grandioribus, præsertim rusticis, &
ineruditis peccantur: duo præsertim
inculcanda; vnum vt foeminæ, præ-
sertim

sertim puellæ ditiores, non veniant
comptulæ, & ad vanitatem composi-
tæ, sed velatæ, & in modesto vestitu;
multò minùs ceruicem, aut pectus de-
nudent; non decet: neque cautum est,
si casu Hostia sacra, vel particula illius
decideret. Alterum est, vt communi-
caturi manus iunctas teneant, neque
ori, aut illas, aut strophium, sumptâ
Hostiâ, admoueant: deprehensi enim,
qui Eucharistiam ore receptam ad
horrenda flagitia extulerint: quòd si
ori manus admouerint, non ægrè pati
debeant, si abstinere ab eâ re iube-
antur. Multum autem refert, pri-
mùm comunicaturos ista omnino di-
ligenter prænosse; ferè enim ita per-
gunt, vt cœperint.

Porrò certa ætas definiri non po-
test, quâ, qui adoleuerint, ad sacram
communione[m] admitti debeant, aut
ex præcepto Ecclesiæ ad eam tenean-
tur. Expectanda enim præter neces-
sariam huius mysterii notitiam, di-

scratio & maturitas quædam tum iudicii, tum morum; quæ aliis citius, aliis tardius obuenit: quidam anno decimo maturescunt, alii ne duodecimo quidem: alii educati honestius, aut à Parentibus, aut Magistris edocentur; alii parentum, vel Magistrorum incuriâ, aut inscitiâ hebetes adhuc sunt, egentque ætate, & eruditione longiore. Hoc certum est, plus ad sumendum dignè hoc Sacramentum requiri prudentiæ & grauitatis, quàm ad Sacramentum poenitentiae. Si puer tibi ignotus se ad Communionem temerè presentet: quære, an sit confessus, & instructus. Apud Dianam opinio est nonnullorum, non teneri pueros ante pubertatem præcepto Ecclesiastico: verùm præceptum Confessionis mortalium, & communionis in articulo mortis, non Ecclesiasticum, sed Diuinum est; ideoque pro eo tempore, qui capaces sunt, etiam ante pubertatem tenentur.

NVM:

NUM: XI.

Ad quid communicans attendere debeat.

Sæpe in administratione huius Sacramenti errores graues accidunt, si minister ad rem non sit valdè attentus; nihil enim facilius, quàm vt particulæ sacræ defiliant, aut excutiantur, præsertim cùm simul multis administrandum, iisque rudibus, & inattentis: quò tibi incumbendum magis, ne aut præcipitanter, aut temerè negotium tam serium tractes. Aduertendum igitur, ne dum sacram Hostiam porrigis, ad labia, aut dentes allidas, aut ne digitos saliuâ inficias; si madefeceris, purificatorio deterge; priùs tamen vide, ne quid sacræ Hostiæ tibi adhærescat, quod tibi excidat: eandem cautelam adhibe, cùm finitâ communicatione digitos in vasculo abluis: si autem adhærescentem digitis particulam aduerteris, vel sume, si es ieiunus, vel repone in Ciborium, si

H 5

non

non es ieiunus; Multum facit, ne particulæ excidant, si (quod superius monui) cures hostias minores, priusquam consecrentur, esse mundas, atque à minutis coherescentibus diligenter perpurgatas, vti Ciborium; quod propterea expurgare subinde debes, cum fragmenta in eo deprehendes, aut eiusmodi minutiores particulas. Expurgandi autem hic modus esse potest: Hostias integras sepones interim post sumptionem calicis; vinum accipies in Ciborium, vel Pyxidem, in quâ eæ sunt particularum minutia; eam ablutionem primam, & deinde secundam effundes in calicem pro ablutione illius, & sumes; & tunc si quas integras seposuisti, repones in Pyxidem, siue Ciborium. Porro si qui defectus acciderint inter communicandum, Missale Romanum consule, & errores emenda.

De Hostiâ tui Sacrificii maiore, ne partem communicaturo diuidas, mos

Eccle-

Ecclesiæ non patitur, nisi grauis aliqua causa excusaret: neque pro tuo Sacrificio particulam consecres, æquè mos repugnat, & populus offenderetur, si in Missa particulam eleuare adorandam.

N V M: XII.

Quibus danda, aut neganda Communio.

A Mentis à natiuitate, & pueros alios, necdum sufficienter instructos, arce ab hac mensâ: nam mos, particulas sacrarum Hostiarum remanentes distribuendi pueris, iam exoleuit; curandum tamen, vt pueri, si de vitâ periclitentur, instruuntur, & præcepto diuino satisfaciant. Omni- no fatui, etsi aliquando ratione vsi sunt, repelluntur, nisi in interuallo lucido deprehendantur, & modò credantur ad sumendam Eucharistiam dignè dispositi; neque periculum subsit irreuerentiæ. Semifatuos admittes, si petant, & vtcunq; instructi de mysterio huius

180 *Institutionum Pastoralium*
Sacramenti, & ritè similiter dispositi
videantur, saltem cùm vrget præce-
ptum vel Ecclesiæ circa Pascha, aut
Diuinum in mortis articulo.

A dæmone obsessis, nisi quid aliud
obstet, cùm res postulabit, Eucharis-
tiam imperties, itémque damnatis ad
supplicium mortis: indecentia præ-
caueri potest, si aliquot horis ante
supplicium præuertas, & des ieiunio:
si neque ista præuisa, aut prouisa sint,
non video, quid magis illos ieiunium
fractum impediatur, quàm alios è mor-
bo moribundos. Carnifices, Lictores,
Leprâ, Cancro, alióque morbo conta-
gioso, vel horrido infectos, malim vt
priuatim communices, aut saltem è
singulari vasculo ablutionem accipi-
ant, ne aliis periculum, aut saltem
horrorem, & stomachum moueant.

NVM: XIII.

De arcendis publicis Peccatoribus.

Si

SI quis notorius adhuc peccator, id est, publicè habitus pro homine existente in statu peccati mortalis, publicè Eucharistiam petat, nega: indignus est, quamdiu publicè constat esse impœnitentem: multò magis si priuatim petat peccator, siue notorius aliis, siue tibi priuatim sit notus; modò id ex solâ confessione sacramentali non acceperis: si verò occultus peccator publicè petat, permittite; vt famæ illius parcas, aut vt hominum perturbationi, & scandalo obuias. *Dabo, inquires, Sanctum canibus?* viderit ille: ita Christus ipse Iudam, suū proditorem, quia occultus adhuc erat, & publicè petebat, admisit: exemplo præiuit, vt idem faceres. Porro peccatores hoc loco non vocantur, qui eousque peccârint grauius, etsi id notorium sit; sed qui vitam improbam viuunt, & improbitatem suam quasi profitentur, vt sunt præcipuè Usurarii, Concubinarij, Meretrices,

trices, Histriones, qui ex professo turpia exhibent, Parasiti, qui dictariis iocosis alienam famam rodunt, aut peccatoribus adulantur, exercentes torneamenta periculosa, & eiusmodi: Item, qui in excommunicatione rebelles Ecclesiæ persistunt. Iure notorii habentur illi, qui vel crimen suum in iudicio confessi, vel de eo convicti fuerint; publici autem facto, qui eo loco, tempore, ac modo flagitium suum perpetrarunt, ut celare obii- cienti, aut tergiuersari non possint: vel tam violentam suspicionem aliis mouerunt, ut quasi certò commissum crimen constet. Hos itaque optimo modo, quo poteris, si publicè petunt, donec iis, coram quibus petunt, tibi que ministro, de poenitentia, & emendatione constiterit, facesse iube. Si autem priuatim petant, quamuis priuatim nôris, ne tunc quidem admitte, neq; vllum alium priuatim petentem, quem meritò putes, aliunde, quam

quàm ex sigillo confessionis adhuc in statu esse peccati mortalis : nam indignis, quantum fieri potest, Sacramenta conferre non debes, ne sis minister infidelis.

SECTIO III.

De Communione grauiter infirmorum, seu, quod idem est, de Viatico.

NVM: XIV.

De morbo contagioso infectis.

Pestiferâ lue periclitanti Viaticum ne denega : hîc iterum habet locum illud boni Pastoris : *Bonus Pastor animam suam dat pro ouibus suis* : nam licet hoc Sacramentum minùs sit necessarium, quàm Baptismus, aut Pœnitentia ; maximum tamen momentum habet ad bene, feliciterque moriendum : ex quo momento pendet æternum. Quanquam non vsque adeò præsens tibi inde periculum, neque magnoperè pertimescendum video ; si (quod facilè fieri potest) diligenti-

gen-

gentiam, curamque adhibeas, ut malum praevertas, aut amoliaris. In primis si iis remediis, & modis utare, quos ex Medicorum, & prudentia praescripto recensui, cum de pestiferorum Confessione agerem: si utaris tersa veste, neque lanea, quae venenum facilius attrahit, & seruat; si non ieiunus, si munitus alexipharmacis, quae facile haberi possunt, ad infirmum accedas; si ad limen deportari is possit, ubi ad mensulam est sacro linteolo, aut patenam sacram Hostiam, ore quasi lambendo sumat: verum nescio, an id in usu sit; & forte erunt, qui improbent; linteum illud deinde comburi, patenam abluere curandum foret. Expeditius etiam fiet, si Hostiae sacram particulam liquori immittas, quem infirmus hauriat, ex sua alienaeque manu. Certè constat primos Christianos Eucharistiam linteolo excepisse, ac secum domum deportasse, & per se sumpsisse tempore persecutionis;

tionis;

tionis: quæ tunc, eadem hîc excusare potest necessitas; sed vereor, ne quis hoc etiam improbet. Sunt, qui vtantur bacillo oblongo, in cuius extremitate lunula argentea sacram. Hostiam ori infirmi admoueat, aliquo, si opus sit, dirigente, vt tutò excipiatur: eo tamen instrumento vt tu prior vtaris, non admodum consulo, vt neque modis suprâ allatis, inconsulto Episcopo: malim, quod religiosius, & magis in vsu est, conuerso vultu ad eam infirmi partem, vnde aura minùs afflat, & nonnihil auerso à contagioso halitu, face ardente ab alio admotâ ipse extremis digitis Eucharistiam ori communicaturi admo-ueas, mox digitos ad flammam lustres, aut probè aquâ diluas: cum verò domum reuerteris, vestem muta, & vel ad ignem, vel in aquâ venenum, si quod contraxit, expies, priusquàm ipse contrahas. Quòd si verò ne istis quidem remediis, & mediis satis tuæ
vitæ

vita cautum existimes, plurimoque te metu angis sentias, sunt, qui tibi indulgent, ut propius non accedas, praesertim si tuo ex periculo periclitentur plures, quibus consuli per alium Sacerdotem non nisi tardè, aut aegrè poterit: quod eo casu minùs aegrè consenserim; si infirmus peccati grauioris minimè sibi sit conscius, aut quòd faciliori viâ, & minori periculo fit, si eminùs absolui à peccatis possit, & Viaticum acceperit.

NVM: XV.

De Phreneticis, & usu rationis carentibus in vita periculo constitutis, & iis, qui sine Sacramenti irreuerentiâ non videntur Viaticum sumpturi.

Semper attendendum Parocho, ne fiat irreuerentia Sacramento: ut si periculum sit vomitûs ex medicina, vel aliunde; aut expuitionis; aut ne species deglutiantur. Igitur Phreneticis, aliisque ratione carentibus, si

Eucha-

Eucharistiam petierint pro Viatico, modò credantur dispositi, neque spes sit sanioris mentis, negare non debes, si modò sine irreuerentiâ Sacramenti accipere posse videantur. Subest autem hoc periculum, si meritò timetur, ne expuant; vt facillè Phreneticis accidit; aut ne euomant, vt facillè accidit iis, quibus stomachus omnia respuit, aut qui continuò vehementer extussiunt, aut sanguinem ex intimis excreant; aut si periculum, ne traiciant; vt fieri aiunt iis, qui à rabido cane fuerint demorsi. Vitandum tamen hîc alterum extremum; ne plus æquo scrupulosè iudices. Non enim, qui aliquando expuunt, omnia, & semper expuunt: neque quibus stomachus respuit cibos, aut potum, statim illam speciei panis particulam eiiciet, etsi fortiter extussiat, aut sanguinem excreat: nam quod in stomacho est tantillum, non æquè abicit cum tussi, aut sanguine: si aliunde
quàm

quàm de stomacho effluat : medicorum & domesticorum sensus explorandus. Iuuat etiam experiri in dubio , particulâ panis communis priùs datâ, & sumptâ ; vt de sacrâ particulâ idem iudicium feras pro Viatico ; item si à maiore particulâ metuis , minimam diuide , & cum liquore modico, quo infirmus ad potum vtitur, de cochleari præbe : multis vsus docuit istud successisse, quod ne fieret, metuebant. In dubio perstante, censeo potiùs Sacramenti rationem habendam. Non censetur irreuerentia illius, si infirmus iaceat loco immundo, aut malè olenti, cum efferri aliò, aut locus decentior haberi non potest : non probo deferri Eucharistiam, cum nulla spes concipitur illius sumendæ ab infirmo : sed eâ tantùm causâ, vt ad solatium duntaxat Christum præsentem adoret : imò prohibitum est, ne Eucharistia solius adorationis causâ ad infirmum deferatur ; satis erit desiderium

rium Communionis. Quòd si fortè præter spem conceptam, aut exspuat, aut euomatur Sacramentum, quid eò agendum? Docet Missale Romanum de defectibus in Missâ occurrentibus; si accidat, vt infirmus moriatur, cum adhuc hostia, vel pars eius in ore est, necdum transmissa, extrahes quâ arte, & quantâ reuerentiâ poteris, & vel sumes in sacrificio ieiunus, si non abhorres; vel loco sacro diligenter asseruabis, donec species ita alterentur, vt alia planè substantia appareat, quam combures, cineresque proiicies in sacrarium.

Si verò Hostia transmissa sit quidem, sed necdum putatur consumpta, nihil mouebis: nam quid ageres? Moribundus voluit confiteri, indignum reperis, non absoluis: petit communionem; da indigno, si aliunde indignitatem ipsius non noueris: mone tamen priùs, & obtestare iterum, iterumque, ne indignus sumat.

Non

Non petit ipse, sed petunt domestici; quid dices? dic te paratum, si ipse desiderat: si aiunt desiderare, redi, & roga, an petat: si annuit; postula facultatem, ut tibi liceat verbum facere de confessione factâ: si renuat, & tamen communicare omnino velit, præbe non vitam, sed mortem volenti, neque iam tergiuersari poteris extra confessionem, ne sigillum frangas: miserum hominem! sed non tuâ culpâ, vitio perit suo. Stude tamen efficere, quantum potes pro illius salute.

NVM: XVI.

Modus disponendi infirmum ad recipiendum Viaticum.

SI aliquando in vitâ, profectò in periculo mortis maximè res, tempusque, atque ius ipsum diuinum postulat, ut Christiani Sacramento se Eucharistico obarment, cum vires corporis, & animi ex vi morbi elan-

gue-

guescunt, cum longum aternitatis
iter truculentissimis hostibus obses-
sum ingrediendum est: nam quid alio-
quin miles in decretorio agone aget,
aut tam periculosa via se committet,
nisi temporè arma, necessariùmque
commeatum compararit? hoc au-
tem est homini in periculo consti-
tuto Eucharistia, Clypeus, Hasta,
Viaticum: ideòque Nicæna Synodus
sanctissimè decreuit in hæc verba:
*Cum iis, qui ad extrema veniunt, lex an-
tiqua seruetur: ut ultimo, & necessario
Viatico non defraudentur.* Quibus ver-
bis significatur, legem illam & diuinam
esse, & illius vsum ad ipsius nascentis
Ecclesie incunabula referendum. Sunt
tamen non pauci, licet mortem non
procul abesse sentiant, qui à tam ne-
cessario (vt Concilium loquitur)
Viatico abhorrent, & quantum pos-
sunt, vel omnino refugiunt, vel ad
extremum tempus reiiciunt, quo fit,
vt non pauci sine Viatico discedant.

Ea

Ea scilicet ars est atque fraus demonis ; id verò agit caillationibus & fallacibus argumentis , non absimilibus iis, quæ ad procrastinandam confessionem suprâ vidimus , & refutauimus : operæ pretium est , de eâ quod nōsse , & populo pro concione proponere , ne iis se in morbis eludant. Hæc autem ferè sunt , quæ ab infirmis obiici solent. Ergo de vitâ actum est , si contra mortem armari iubemur : abeundum, de Viatico agitur : atqui anima adhuc tota est in me, mens integra, necdum oculi caligant, aut ceruix labat, aut manus languent, aut pedes rigent ; stomachus etiamnum officium facit : cras, aut post cras videbimus : finite nunc me viuere, **D E V S** meus humile hoc tectum subeat ? non decet ; expectabo, aut ipse propediem adibo ; nam qui erunt hominum sermones & concursus, si Sacerdos solenni pompâ, & pulsu hæc cum certo mortis nuntio adue-

aduene
gium,
lestam
tione &
cabunt
res, qu
dent :
tis? sin
tur, ex
Quid t
craftin
mihi p
& stom
debere
vix po
Non su
per fa
spuam
ad pop
uatim
magis
celleris
vitam
adferre

aduenerint? amici veluti ad naufragium, aut incendium accurrent, molestam opem delaturi; creditores petitione & affecuratione debitorum enecabunt; alii ambient officia, & honores, quibus cum vitâ defungi me credent: quid me ante tempus occiditis? finite me. Ita dum procrastinatur, extrema, & mors ipsa imminet. Quid tandem? Iam verò, inquit procrastinator ille, serum est, vix sum, mihi præsens, & catarrhus, & tussis, & stomachi nausea impediunt, ne quod deberem pietatis sensu sumam, iam vix possum, ac nec possum quidem. Non sum ieiunus. Vereor præterea, ut per fauces transmittam, aut fortè exspuam, aut euomam. At tu contra ad populum pro concione publicè; priuatim verò, cum ad eiusmodi animo magis, quàm corpore infirmum accesseris, hæc oppones: Christi corpus vitam animæ, non corpori mortem adferre, aut accelerare: Hæmorrhoidis

I

sam

fam duodennio laborantem, vnicoto
etu fimbriæ vestimenti Christi fuisse
fanatam; multos, de quorum vita
conclamabatur, ex huius arboris vita
fructu valetudinem recuperasse: Chris-
tum minimè dedignari subire etiam
humiles casas, cum ipse adiri per va-
letudinem non potest. Audito mo-
bo de puero Centurionis: *Veniamus*
inquirebat, & curabo eum. Venit, intra-
nit, curavit. Verùm quid homines
ais, dicturi sunt? dicant, quod velint:
quia parùm te curant, nihil cura: non
illorum, sed res tua, imò summa to-
tius rei agitur: age, quod vel maxime
tuâ interest. Si concursus aut am-
torum, qui molesti consolatores sint
aut creditorum, qui debita exigant,
refugis; modus in promptu est: iube
abesse, quòd somnum, aut quietem
captes; roga, ne ad morbi molestiam
importunos sermones adiciant. Ho-
noribus tuis non potentur, donec si-
mul vitâ fungaris, quantumcunq; am-
biat,

biant; quid te eâ te angis? Impedior, inquiebas tu, à ieiunio, perturbatione mentis, à catarrho, tussi, stomacho. De ieiunio quid te vexas? fas tibi est, quantumvis ieiunium solueris; quando necessitas id exigit. Mens verò si necdum amota, aut implacida, aut sit per interualla interlucens, satis sana, valensque est; vt, quantum vis morbî finit, sis ad susceptionem Sacramenti comparatus: Dic ex intimo animi sensu: *Deus meus, credo tibi, spero in te, amo te ex toto corde*: plurimum orasti: Medici, & alii prudentes de Sacramenti transmissione, de periculo exspuitionis, aut vomitûs discernent, fortè particula sacra consecratæ Hostiæ cum modico quopiam liquore, traïci poterit: aliorum potiùs, quàm tuo iudicio acquiesce, cur plùs æquò trepidas? Ex his, mi Neo-paroche, habes, quæ vsui tuo esse cùm publicè, tum priuatim possint. Vtere.

Modus deferendi Viaticum.

Moneas populum, ut cum Viaticum deferendum est, locum, in quo infirmus iacet, emundent, & proprio modulo exornent, mensulamque coopertam decenti linteo, effigie Christi in cruce pendentis, cereo uno, alteroque lucente, vasculo aquae lustralis, & altero ad abluionem oris infirmi, post sumptam sacram hostiam, rite instruant, dum interim infirmus se per actus Fidei, Spei, Amoris, desiderii suscipiendi Christum, ad dignam denique Communionem per internas, aut vocales preces preparat, aut ab aliis, si per se non possit, pie disponitur. Deferes autem indutus veste Clericali, superpelliceo, & stola, praecedente vno saltem ministro cum lumine, & campanula, sequentibus aliquibus è populo, si commodè haberi possint; quam in rem, ut sint faciles, &

prom-

prompti, pro concione exhortaberis.
Modus procedendi is sit, quem requirit tantum Sacramenti fides, & dignitas.

Quare deferendo solennitatem omnem religiosè serua, quam Liber Ritualis præscribit, nisi aliud suadeat, & permittat itineris, aut festinationis vrgens ratio: si morbus vrget, festina quidem sed lentè: imò etiam contende celerius, adhibito tamen semper studio reuerentiæ Sacramenti, & vitanda aliorum offensionis. Si locus longius distet, si sit arduus, cœnosus, lubricus, è collo corporali sacram Hostiam bursulâ inclusam gestare poteris, ne aut lasseris nimium ferendo, aut ne periculum sit, vt cadens Sacramento iniuriam inferas: equo etiam vt licitum erit, si opus sit, modò is non sit indomitus, aut sternax. Si per loca periculosa, aut infesta sit incendum, vbi hostis aut latè grassatur, aut ii, quibuscum habes inimicitias, vitæ tuæ insidiantur, neq; armatos habere possis

198 *Institutionum Pastoralium*
possis, qui te tueantur; clàm arma ge-
stare potes, quibus vitam tuearis con-
tra inuasorem: Sanctiùs facies tamen,
si tu ab armis abstineas: iuuerit po-
pulum moneri, vt cùm pericula sub-
sunt tibi, & Sacramento, de die, &
tempestiuè potiùs vocent, quàm no-
ctu, & tardè: si tamen aut neglexe-
rint, aut necessitas opinione citiùs op-
presserit, ne vocare desistant: te-
quiduis passurum potiùs, quàm vt of-
ficio desis.

NVM: XVIII.

Modus conferendi Viatici.

CÆremonias Ritualis exactè obser-
uabis, quantum temporis, & mor-
bi ratio patietur. Mox vt lecto
subieris, Christum adorandum infir-
mo propone, sciscitare, an sumere de-
sideret, an nihil occurrat, quod de re
ad conscientiam pertinente, ante sum-
ptionem tibi dicendum putet: quòd
si aliquid grauius infirmo occurrat,
audies,

audies, quantum fieri potest, breuiter
quidem, si præsentes longiori confes-
sionis morâ scandalizarentur: deinde
verò captes occasionem, vt suppleas.
Sed vt hæc incommoda vitentur, con-
sultius est, præmitti confessionem, an-
tequam viaticum deferatur: tum verò
breui exhortatiunculâ excita infirmū
ad fidem, spem, charitatem, deuotio-
nem erga Christum præsentem: dein-
de communica, digitos lustra, si quid
fortassis sacræ Hostiæ adhærescat, id
vel ori illius decenter impone, vel cum
ablutione præbe; vel sume, si sis ieiunus,
neq; dein sis sacrificaturus; vel in py-
xidem depone. Attende, vt Hostiam
deglutiat; subiade enim difficile est ob-
palati & linguæ siccitatem: ideóque
consultū est, vt quibus exsuccū est os,
antequã Sacerdos adsit, proluât, & hu-
medtent. Quod de ablutione reliquum
erit, postquam digitos, etsi nihil ad-
hæserit, reuerentiæ tamen causâ in-
tinxeris, & Purificatorio deterferis;

religionis quoq; causâ, vel sumi, vel in ignem aut locum sanè mundum, immitti iube: non autem in terram, veluti aliquid profanum abiici. Ante discessum hortatiunculâ breui mone infirmum, vt tanto hospiti pro tam diuino beneficio gratias agat, in relationem gratiæ se ei totum tradat, atq; resignet: deinceps verò in ipsius gratiâ se diligenter conseruet, neq; vlli aut tentationi impatientiæ, aut peccato grauiori consentiat; sed contrâ protestetur, ac sese obfirmet orationibus suis, & aliorum; crebrâ exorculatione Crucifixi, & aspersione aquæ lustralis: præterea identidem à viris bonis, & si fieri potest, Ecclesiasticis, ac Religiosis se visitari curet: denique, vt si necdum de rebus suis disposuerit, disponat, & testamentum condat, inuocato Dei auxilio, & animo ita constituto, vt sepositis odiis, aut humanis respectibus purè, & sincerè hæredem scribat, & legata pia pro ani-

mâ

mâ suâ in pias causas ita iubeat, vti in die iudicii sui Deo rationem reddere statuit. Ante omnia iubeat, vt debita soluantur, aliena restituantur: tùm præscribat, vt Missæ, eleëmofynæ, preces, aliâque pia opera pro animæ salute exsoluantur: si hæredes habet, de Iure, & iuxta Leges diuidat: item claris, & apertis verbis, vt litibus ianua præcludatur: habeat autem specialem rationem, quantum æquitas finit, consanguineorum pauperiorum: denique executores testamenti constituat, adhibeâtque notarios, & testes, & peritos, & probos. Commodum enim est hoc tempus, cùm creditur adhuc esse compos mentis, sumptâ Eucharistiâ conscientia suæ rationem habiturus; éstq; id ad maius meritum, si tunc testetur, cùm est in statu gratiæ, atque ex hoc opere tanti momenti apud Deum plurimùm mereri potest: vnde si deprehenderetur testamentum fecisse, cùm excidisset Dei gratiâ, suadendum

dendum esset, ut ratificet coram Deo post Confessionem Sacramentalem, ne eo merito careat. Porro quod ad testamenti solennitatem pertinet, scies, quid eò loci leges, aut consuetudines requirant. Hæc res cum plurimum valeat ad vitandas post mortem rixas, lites, scandala; aliena à curâ tuâ non est, imò tibi specialiter incumbit, ideòque cum aliter fieri non potest, ex officio, adscito publico Notario, aut testibus aliquot, conscribere testamentum fas iusque sinit; expedit tamen potius à testamentorum condendorum peritis id agi: constat enim ex neglectis iis, quæ iure inesse debent in formulâ testamenti, plurima deinde incommoda enasci. Vbi hæc tum infirmo, tum, cum expediet, domesticis, & amicis commendaueris, speciatim, ut attendant, ne si infirmus grauius periclitetur, extremam Vnctionem negligant, aut si aduertant egere, ne omittant Sacerdotem ad solatium

animæ,

animæ , & ad preces pro felici exitu faciendas reuocare. Valedices datâ benedictione , & pacem apprecatus: vt tamen curam omnem non dimittas, inquires subinde, quî cum infirmo agatur, & cum è re iudicabis, reuises, præsertim cum intelliges de vitâ periclitari.

NVM: XIX.

Quo tempore, quoties debeat dari Viaticum, durante morbo.

QVavis horâ, etiam noctis, etiam non ieiuno Viaticum porrige, si infirmus horam commodiorem, aut ieiuno stomacho expectare non potest, sine periculo præoccupaturæ mortis; neque verò expectanda est vltima vitæ periodus: censetur autem versari in mortis articulo, qui iudicio Medici, aut viri prudentis de vitâ periclitatur; is enim est in procinctu ad iter æternitatis; eget igitur Viatico: neque vno satis est, si diutiùs superuiuat:

uat : quare si ab eo sumpto interflu-
xerint sex aut octo dies , boni Theo-
logi censent, iterum dari posse, si petat
etiam non ieiunus, si modò ieiunus
accipere non possit, & sit in præsentia
vitæ discrimine. Nam si infirmus sit
ieiunus, toties sacrâ Eucharistiâ refici
potest, quoties rationabiliter deside-
rat, & petit : vt verò frequentius id
fiat à ieiuno, & maioris est meriti, &
folatii, præsertim si domi, vel in vi-
ciniâ sit templum, vel sacra ædícula,
vnde sine tantâ molestiâ, & strepitu
conferri possit.

C A P V T V.

Circa Extremam Vnctionem.

NVM: I.

De quibus populus instruendus.

QVia hoc Sacramentum ferè non
nisi semel, & quidem in extremo
vitæ confertur ; & plerique non modò
è plebe, sed etiam ex optimatum nu-
mero

mero non satis intelligunt, quid rei sit, quantum valeat, & quando, quòue ritu conferatur: non pauci negligunt, aliqui etiam ab eo abhorrent: quo fit, ut plurimi sine eo Sacramento moriantur, ingenti nonnunquam animarum damno. Proinde captabis occasiones subinde, siue in concione, siue in Catechismo disertè, ac luculenter, populum instruendi, & ad hoc Sacramentum adhortandi. Instructionis hæc sunt capita. *Primò.* Verum ac propriè dictum esse Sacramentum, à Christo institutum, à Sancto Iacobo promulgatum clarissimis verbis c. 5. *Infirmatur quis in vobis, &c.* atque inde perpetuo vsu huc vsque inter Catholicos vsurpatum. *Secundò.* Conferri à Sacerdote omnibus iis, qui ex morbo de vitâ periclitantur; neque nisi semel, durante eodem morbo, conferri. *Tertiò.* Præter preces Ecclesiæ, sacro Oleo vngi præcipuè quinq; sensuum organa, quòd per eas potentias anima

tentationum , & peccandi occasio-
nes hauriat, ideòque inter vnctiones
sacra hæc verba proferri, *per hanc san-
ctam Vnctionem, &c.* Quia verò Oleum
istud benedictum fuit, & adhibitum
ad Sacramentalem vnctionem, partes
vnctæ deterguntur vel bombaceo, vel
stupa, aut, si ea defint, linteolo mundo:
digiti verò Sacerdotis sale cum crusta
panis fricentur, & aqua lauentur: ea
materia, quia oleo imbuta, incenda-
tur, aqua verò in locum mundum ef-
fundatur, ob reuerentiam rei sacrae:
quare qui vocant Sacerdotem, cu-
rent, vt ista in mensula cum lustrali
aqua, & Crucifixo parata sint. Porro
ex his finem huius Sacramenti, & quid,
quantumque in extremo illo agone,
vel valeat, vel efficiat, facile deduci, &
intelligi potest. *Quartò.* Tres illius
effectus S. Iacobus loco citato ex-
pressit; vnus, isque primarius, qui per
Olei sancti vnctionem significatur, est
Corroboratio animæ ad fortiter, &
constan-

constanter decertandum in extremâ illâ luctâ contra vim morbi, tunc maximè sævientis; horrorem imminentis diuortii animæ à corpore; insultus, maiorésque machinas, quibus dæmon videns sibi parum temporis superesse, extrema tentat, vt animam in peccatum aliquod grauius præcipitet, victorque euadat; quæ pugna, quàm grauis, acerbâque sit, vident, qui spectant: hinc enim illi gemitus, suspiria, eiulatus, vociferationes, sudores, lacrymæ, agitationes, succussiones, deliquia. Hîc quid ageret homuncio, præsertim iam propemodum exanimis, nisi diuinâ gratiâ, quæ per hanc sacram vnctionem ex meritis Christi confertur, animos, virésque acciperet, quibus velut vnctus Athleta istas morbi molestias, horrorem mortis, dæmonum tentationes superaret? vt verò superet, tanti refert, quanti est æterna salus. Alter effectus huius Sacramenti est remissio peccatorum venia-

nia.

208 *Institutionum Pastoralium*
nialium, & poenæ alicuius ex commis-
sis peccatis relictæ; atque ita animæ
egredientis è corpore expeditior in-
cælum ingressus, qui fructus sanè non
est contemnendus. Denique si expe-
diat, per eam extremam vnctionem
salus etiam corpori adfertur: hinc
multi sacro oleo vncti valetudinem
pristinam recuperant, plurésque recu-
perarent, si citiùs se vngi curarent;
tunc scilicet, cùm natura nondum est
ita prostrata, vt non nisi miraculo re-
stitui possit: quod Cardinalis Bellar-
minus obseruat. Vltimò instruendus
est populus; hoc Sacramentum non
esse ad redimenda per se peccata
mortalia; ideóque suscipiens, si sit
sibi conscius peccati mortalis, & pos-
sit, debet confiteri, aut saltem con-
teri. Hæc si disertè, luculentèrque
populum edoceas, diligentiores, & fer-
uentiores in procurando sibi tam sa-
lubri ad bene moriendum remedio
experièrè,

NVM:

N V M : II.

*Refutatio argumentorum, quibus nonnulli
utuntur, ut Extremam Vnctionem diffe-
rant, aut nonnulli etiam
recusent.*

AT nullum, inquit, exstat præ-
ceptum, neque Christi, neque Ec-
clesiæ, quo ad extremam illam vn-
ctionem adstringar : alii admittant ;
nihil prohibeo : mihi verò homini
iam omnia nauseanti non sapit oleum,
imò etiam bilem mouet ; quia certam
iam, & vicinam mortem denuntiat :
itaque ille fatalis nuntius, illa fax fu-
nesta, illæ mortuariæ preces, omnis
illa sensuum vnctio, adstantium gemi-
tus, luctus, pallor, aut silentium, aut
valedicentium voces conturbant : iam
confessus sum, iam Eucharistiam sum-
psi ; debui : cætera ista, cæremoniæ
sunt minùs necessariæ, neque iam op-
portunæ ; quid me vrgetis ? iam me
habebunt omnes ipsius Medici, & Ec-
clesiæ

eleſiæ opinione deploratum, atque poſt pauculas animę ſpirantis reliquias exſpirantem. Itaque vlulabunt domeſtici; proles, & vxor complorabunt: & quaſi me mortuo conuolabunt creditores, arcuſas occludent, & tantum non pernecebunt. Hęc illi, qui ut-
cunque ſibi ſapere videntur. Sunt etiam nonnulli ex rudioribus, qui recuſent, quod ſibi, cum conualuerint, poſthac nefas fore ducant, nudo pede humum attingere, ornatis veſtibus indui, choreas ducere. At tu leuia hęc argumenta ſic diſſolues. Quid agis, bone vir? nam ita loqui mihi videris, ac ſi contemneres: hoc autem piaculare eſt: non teneris ſuſcipere; ſed aſpernari non debes. Non aſpernor, inquis, ſed tamen horreo deſperate vitę nuntium. At quid horres? periculum ipſe ſentis, neque mortem adferet iſtud, neque accelerabit, imò ſi expediet, reſtituet ſanitatem; ſi non expediet, cur vitam amas? domeſtico-

rum

rum luctus minùs tibi erit acerbus: si ad bene moriendum te omnibus Sacramentis munitum viderint. Confessus es, bene habet: communicasti, hoc melius: optimum erit, si præsentì hoc quoque præsidio te ad extrema compararis: rogo te, cogita, quot bonis animam defraudes, quot, inquam, diuinis auxiliis cum ad superandas morbi molestias, tum ad vincendos dæmonis assultus, qui tunc maximè hominem defectum impugnant, tum ad augendam Dei gratiam, & ad maiorem in cælo gloriam: certè negligentia notâ non vacat, nec specie quadam spiritualis prodigalitatìs, sponte abii- cere tot salutis emolumentâ, eumque possis in tuo lucro reponere, tamen nolis. Id, quod Nicolaus de Nisa, Ordinis Minorum, in Gemmâ prædicatorum scribit, ad hanc rem facit. Refert ille, quendam magni cæteroquin meriti interrogatum, an vellet vngi, renuisse: Nolite, inquiebat, obsecro: quia

quia

quia omnes, qui unguuntur, moriuntur: atque in his verbis obiisse. Cùm verò lintheaminibus inuolueretur, aperuisse oculos, & hæc dixisse: quia Extremæ Vnctionis salutare Sacramentum abhorruï, centum annis in purgatorio, iusto DEI iudicio, torquebor: si unctus fuisset, de ægritudine conualuissem; sacra enim Vnctio non est acceleratio mortis, sed dilatio: atq; his dictis iterum expirâsse.

Quoad illa reliqua quarundam anicularū deliria, de nudo pede, de ornatis vestib9, de saltu, & si quæ eiusmodi fabulæ obiiciantur, risu soluēda erūt; sunt enim perridicula. Verùm hæc tu non uti à me hîc proponuntur, vno veluti spiritu propinabis egredienti isti animæ, sed per partes, vt res tulerit, & illita melle aliquo lenitatis, vt infirmis nauseantibus pocula instillari solent. Est verò, quod hâc occasione te moneam, ne ex eo, quòd nullum existet præceptum infirmis de suscipien-

do
con
tibi
nam
pete
non
Suri
que
lier
qua
tuar
huiu

Qu

IN
nu
iis, c
quâ
caus
gab
scie
mor

do hoc Sacramento, putes, neq; te ad conferendum teneri, ideóque parúm tibi videatur, si negligas, aut cuncteris: nam Pastorale officium te obligat, vt petenti saltem, aut egenti eo remedio non desis. S. Malachias (vt est apud Surium) vesperi rogatus, distulit in sequentis diei manè: obiit interim mulier illa, quæ petierat: quantum fleuit, quantum orauit Malachias, vt mortuam suscitaret? Maior igitur cura huius rei tibi incumbit, quàm putas.

NVM: III.

Quibus neganda, & quando danda Extrema Vnctio.

IN primis non administrabis iis, qui nunquam vsi sunt ratione; neque iis, qui aliunde de vitâ periclitantur, quàm ex morbo, veneno, vulnere, aut causâ simili intrinsecâ. Præterea negabis cuicumque peccatori, quem scies esse in statu, aut affectu peccati mortalis. Si is tamen dolorem, aut
Sacra-

Sacramenti alicuius desiderium ostendisset, præsumeretur esse verè poenitens, ideòque absolui, ac deinde vngi posset. Phreneticis, furiosis, à cane rabido mors conferes, si prudenter putès esse ritè dispositos; isti tamen ligari, aut potiùs remotà turbà teneri debebunt, ne Sacramento irreuerentiam, aut aliis scandalum adferant: à rabido autem cane morfi caue, ne saliuâ aut sputo te attingant, ideòque vicinam potiùs ori partem attinge; aiunt enim, illius saliuâ, aut sputo rabiosum virus affundi.

Quicumque Catholicè vixerunt, neque noscuntur in statu peccati mortalis versari, vngi debent: quia Catholici (quamdiu contrarium non constat) præsumuntur petiisse omnia opportuna suæ salutis, præsertim pro illo extremo vitæ periculo. Vnde miror, cum de vngendis iis, qui Catholicè vixerint, tam disertè in Rituali Romano, & aliis libris Ritualibus

præ-

præscribatur, repertos Sacerdotes
tam rudes, atque huius rei tam igna-
ros, ut iis, quos audiebant non petiisse
expressè, & iam ita rationis usu pri-
uatos, ut petere non possint, Sacrum
Oleum denegârint: nam quòd è vulgo
ita aliqui sentiant, minùs miror, de-
docendi tamen sunt pro concione;
quia grauis, & saluti animarum per-
niciosus est iste error: accidere enim
potest, ut per hoc Sacramentum ali-
quis saluetur, qui sine illo periret.
Pueri, qui rationis usum habuère, &
absolui potuère, ungi possunt; etsi
necdum communicârunt.

Porro conferes hoc Sacramentum
non antè, quàm prudenter iudices ad-
esse periculum; neque tamen ex-
spectandum, donec mors ipsa iam ita
præoccupet, ut infirmus à sensibus,
& ratione sit alienus: nam quamuis
tunc etiam ungi possit, tamen condu-
cibilis est, si intelligat, quid agatur,
& pietatis sensum aliquem adhuc

con-

conferre possit. Olim Extrema vnctio ante Eucharistiam collata, nunc solet postponi: nihil tamen refert, datâ Extremâ vnctione, Eucharistiam administrari.

In eâdem infirmitate semel tantum conferri debet; si tamen morbus cesserit, ac deinde redeat, iterum vngere poteris: imò si durante eâdem infirmitate æger periculum euaserit, & deinde in nouum vitæ discrimen relabatur, poterit secundo vngi; quia perinde est, ac si nouus morbus inuassisset.

NVM: IV.

De administratione huius Sacramenti.

PRÆscriptas cæremonias diligenter observa eo modo, quo in tuâ Diocesi receptæ fuerint. Pro reuerentiâ, nisi aliud quid obsit, deferens è templo veste clericali, superpelliceo, & stollâ indutus, præcedente ministro, qui lumen honoris deferat causâ. Ve-

rùm

rùm si causa subsit, vt priuatus sine solennitate ad infirmum te conferas, saltem in loco, sacro illo habitu te indues: neque minister est necessarius; ipse respondere poteris, si nemo possit ex iis, qui aderunt.

Psalmi Pœnitentiales omittuntur sine culpâ: reliquæ preces non sunt prætermittendæ, quantum tempus, morbus, & ratio permittit. Initiò, si res moram patitur, saluta infirmum, & paucis significa, quid sit, & quos ob fines institutum sit hoc Sacramentum: quære, an quid in conscientiâ habeat, quod fructum huius Sacramenti impediât; si quid sit, audi confitentem, & absolue; simulque eum excita ad deuotionem, quò fructum vberiore capiat: breuis esse debet hæc monitio, si terrorem, aut tædium pariat. Singula organa sensuum diligenter inunge, & quidem si bina sint, vt sunt, oculorum, aurium, manuum, pedum, bina: si desint; vnge partes

K

vici-

viciniores: cum bina autem sensuum organa ungis, formam verborum partire cum partiali unaquaque unctione. Renes, aut pectus feminis ne ungit, ac ne pedes quidem, cum è partu laborant, aut indecentia dissuadet.

Cum necessitas urget, statim rem ipsam aggredere, aliis postpositis; & cum festinandum videretur, in facie unum oculum, unam aurem, narem, os, & pro brgano tactus, genam, aut aliam vultus partem unge, sub unâ integrâ hâc formâ. *Per hanc sanctam unctionem indulgeat tibi Dominus, quidquid peccasti per visum, auditum, odoratum, gustum, tactum: cruce licet omisâ; ista enim sola ad essentiam huius Sacramenti sufficiunt: Si dubitas, an supervivat, qui ungendus est, explora, quâ arte potes; manente dubio, unge sub conditione, si vivis adhuc. Finitâ unctione, partes inunctas deterges panno, stupâ, aut quod decentius est, bombaceo: digitos abster-*

ges

ges sale, pane, aquâ, quæ igni dabis, reuerentiæ causâ. Pueris habentibus sufficientem usum ad peccandum, etsi nondum ad communicandum, non est neganda Extrema unctio, præsertim si nullum aliud Sacramentum accipere possint: quia semper iuuat, tunc autem fortè necessaria est.

NVM: V.

An, & quomodo unguendi, qui peste, aut contagione sunt infecti.

Quæ superius suis locis circa peccatorum confessionem excipiendam, & Viaticum diximus, huc suo modo etiam spectant, nam licet confessionis maxima in moribundis, communionis verò sacræ maior ratio sit habenda, quàm sacræ Unctionis; quòd ista duo priora moribundis grauiter præcepta sint, magisque ad salutem necessaria: tamen quia semper maximum momentum positum est in Extremæ unctionis Sacramen-

to, ad bonam beatamque mortem: non committes facile, ut tui gregis vltus tuâ culpâ tam salutari auxilio careat: præsertim si neque prius confessus fuerit, neque Viatico munitus, neque iam aliter iuuari possit; nam tunc hoc Sacramentum, quod vnum reliquum est, esse potest ad salutem pernecessarium. Quare nunquam quidem, præsertim rogatus, negabis vlli de vitâ periclitanti, ne peste quidem aut contagione infecto. Hic enim valet, etiam istud, Bonus Pastor animam suam dat pro ouibus suis: quanquam non video adeò periculosum vngere pestiferos, si ea serues, de quibus supra monui de impediendâ vi pestiferâ, nitore & mutatione vestium, facilibus alexipharmacis, & aliquâ cautelâ ad non excipiendum halitum infecti; præsertim si deferri æger possit propiùs ad auram liberam, aut limen ædium: si, quod licet, breuiter vnctionem vnam ad singulos sensus

(prouc

(prout paulò antè docui) sub vnâ interim totali formâ adhibeas: quam in rem alicubi vsui est bacillus oblongus, cum nodo argenteo ad extremitatem, quem aliquis apud infectum, è propinquo dirigat ad vngendos sensus, & quem deinde vel bombaceo comburendo detergas, vel ad ignem iustres, præsertim si Episcopus eo instrumento vti permittat. Singulare est boni Pastoris in hoc genere exemplum S. Caroli Borromæi, qui in eâ contagione, quæ Mediolanum depopulata est anno 1576. non modò temporalia ex suâ etiam suppellectili, sed propriis quoque manibus lue infectis Confirmationem, Viaticum, Extremam denique vnctionem administrabat.

NVM: VI.

*De quibus monendus moribundus post
Sacram Vnctionem.*

¶ Initis Vnctionibus, & iis precibus, quæ in Rituali præscribuntur, si

K 3

perfo-

personæ, morbi, temporis ratio patia-
 tur; quædam perpauca, ne infirmus
 defatigetur, mone. 1. vt Deo gratias
 agat, quòd huius Sacramenti benefi-
 cio, & gratiâ sit præmunitus. 2. vt
 gratiam acceptam magno studio, &
 curâ conseruet. 3. vt proinde tenta-
 tionibus, si quæ obuient, fortiter
 resistat; non enim coronabitur, nisi
 qui legitimè certauerit: Et, qui per-
 seuerauerit vsque in finem, hic saluus
 erit. 4. imposterum sæpe eliciat actus
 fidei, protesteturque, se in eâ velle
 viuere, & mori: item eliciat actus
 spei crebros; confitendo, se vitam
 æternam consecuturum, non suis,
 sed Christi meritis. Præterea formet
 actus frequentes amoris Dei super
 omnia, propter quem resignet se to-
 tum, conformetque diuinæ voluntati;
 simul vitam, mortemque suam, omnes-
 que morbi molestias DEO offerat, in
 memoriam Passionis Christi, & satisfa-
 ctionem suorum peccatorum. De-

nique

niq̄ue moneas, vt Sanctorum quoque
preces, & auxilium imploret; præser-
tim Matris Dei, Angeli Custodis,
reliquorūmq; Patronorum: ab eo ve-
rò discedens præbeas osculandum
Crucifixum, asperge aquâ iustrali, si
quod habes numisma sacrum, aut
granum benedictum cum indulgentiis,
pro articulo mortis, illi commodee,
vt vtatur; quem in vsum semper de-
feres, cūm adibis moribundos. Ad
extremum bene valere iube, & prom-
ptum te offer in quodcunque tempus;
si quando præsentiam tuam sibi sola-
tio fore existimabit. In discessu ab
infirmo, de iisdem rebus instrue do-
mesticos, vt in tuâ absentia eadem
præstent, neque negligent te reuoca-
re, si opus, vel commodum viderint;
interim precibus vacent: si verò nec-
dum testamentum scriptum sit,
id fieri optimo modo
curent.

C A P U T VI.

De iuuandis morientibus ; &
mortuorum sepulturâ.

NVM: I.

De visitandis infirmis.

PASTORIS ouium est, non tantùm vigilare, vt gregem à lupis incolumem seruet; sed vt iis etiam, quæ morbo, vel præsentî periculo expositæ sunt, opem suam impendat; eò maiori curâ, quò magis nôrit, in grauiori discrimine versari, & minus iam posse sibi cauere: ita Parocho semper quidem excubandum, & incumbendum, vt Gregi suo bene sit; maximè verò, si quæ ex ouiculis morbidæ sint, atque in vitæ periculo constitutæ: plerumq; enim tunc, cum corpore, salus animæ in discrimen vocatur: quare non sufficiet, sanos generatim pro concione excitâsse ad petenda Sacramenta; sed cùm cognoue-

gnoueris malè valere , præsertim
ægrius , licèt non voceris , adire debes ,
per te aut alium , si nemo adsit ; eum-
que solari , & prout morbus exiget ,
excitare ad Sacramenta , tum sacræ
Confessionis , tum deinceps reliqua
suscipienda : quâ in re tamen magnâ
prudentiâ opus erit , ne quid temerè ,
& insulsè agas : si fuerit necesse , vt
fortiter ; memineris , vt & suauiter .
In hoc genere peccant Pastores , qui
putant se officio non defuisse , si qui si-
ne Sacramentis decedant , qui eos non
vocârint : non fuimus , inquiunt , vo-
cati : at sciuisti periculum , aut atten-
dere dèbueras : quænam est ista Pasto-
ris excusatio , Hero obiicienti ; cur
permisisti ouem , quam nôras esse
morbidam , perire , aut sanè à lupo de-
uorari ? si respondeat , ouis non bala-
uit , nemo opem implorauit : atqui
officium tuum opem tuam efflagita-
bat ; imò implorabat . An non meritò
Dominus animam eius ex manu tuâ

requiret? Est profectò hic error gra-
 uis. Sed alter æquè perniciosus, eo-
 rum scilicet, qui se omnem erga infir-
 mos pastoralis officii partem exple-
 uisse existimant, si Sacramenta poeni-
 tentiæ, Viatici, Extremæ vñctionis
 administrârint. Itaque nihil ultra
 mouent: recepit, inquit, sua Sa-
 cramenta; nihil mihi istic superest
 negotiï, præsertim si me reuocat ne-
 mo. Sed agedum, dic, quæso, quid
 isti homini proderit, à te accepisse
 Sacramentorum gratiam, si ante
 mortem eam perdiderit? quàm autem
 hoc fit facile? vrgent enim tunc
 grauiores assultus Dæmonum, vis
 morbi fit acrior, animus fractior;
 heu quàm sæpe, & quàm foeda in ipso
 portu naufragia à latentibus scopulis,
 angustis faucibus, irruentibus procel-
 lis? dum Magister nauis vel abest, vel
 dormit, quasi iam de re suâ totâ se-
 curus. Adibis igitur etiam non vo-
 catus, præsertim si cognoueris, à mor-
 bo,

bo, aut tentationibus infirmum in
præsentiore salutis discrimine versari.

N V M : II.

De Arte iuuandi grauitè Infirmos.

AT quid istic agam? inquires; iuua-
bis ad bene moriendum. Multa
hic præscriberem, nisi memor essem
promissæ breuitatis; nam vt longa est
ars bene moriendi, ita multa sunt præ-
cepta bene iuuandi moribundos; quâ
de re extant, qui accuratè scripserint.
Laudatur Ioannis Polanci Methodus,
Caspar Loartius de afflictorum conso-
latione, & Amicus fidelis non pridem
editus; extat etiam modus visitandi,
& iuuandi infirmos à Paulo V. præ-
scriptus, quo vtâris, si habes adma-
num. Ex quibus, vt tibi sim commo-
dus, rem totam ad pauca capita huc
reuocabo.

Primum; ardebis zelo iuuandi ani-
mam illam, quæ inter confinia vitæ, &
mortis properat ad æternitatem: is

K 6

enim

enim zelus non modò te alacrem reddet ad ferendas molestias, quæ subinde in morientium curâ subeundæ sunt; sed etiam reddet attentum, & vigilem, vt nihil omittas eorum, quæ solatium, & opem adferre possint. Deinde studebis, vt infirmum tibi beneuolum reddas, significatione tuæ erga eum beneuolentiæ, oblatione officiorum, quibus ille putet, te posse cum illi, tum suis gratificari; ita tamen, vt intelligat, nihil te omnino agere velle proprii commodi, aut lucri gratiâ, sed solam Dei gloriam, & salutem ipsius intendere. Porrò cauebis, siue in ad-eundo, siue in loquendo, agendoue, ne quid imprudenti tibi excidat, quod offendat, aut fastidium adferat; quare considerandæ erunt circumstantiæ loci, temporis, morbi, ægroti, eorum, qui adsunt; & rerum, quæ in colloquium adferentur; modi, quo proferentur. Sermo non sit longus, neque concionatorius, neq; clamorosus, neque asper;

asper ; pauca , & selecta cum aliquâ
suauitate condiantur ; hinc , inde
aspergatur locus aliquis sacræ Scri-
pturæ è re natâ . Delectant maximè
similitudines , & exempla , simulque
mouent . Cauebis autem , ne facilè
mortem imminere denunties ; faciant
hoc alii potiùs , nisi cum expediret sa-
luti infirmi negligentis , & alii nun-
tiare vel non auderent , vel nollent ;
iam enim tibi hoc onus incumberet .
Facies igitur tunc , sed cum sale , du-
cto longiùs exordio , à qualitate mor-
bi , diurnitate , grauique molestiâ ,
vnde maius fortè periculum imminere
posset ; tutius esse præuerrere Eccle-
siæ Sacramentis , sacrâ in primis con-
fessione , & reliquis , præsertim cum
timetur delirium aut deliquium , (vt
facilè fit in acutis febribus) aut certè
suffocatio à catarrhis . Tum res ipsa
agenda , præparatio scilicet ad bene ,
felicitérque obeundum , quantumcunq ;
videatur spes aliqua vitæ . Vbi pri-

mum minuendus metus, & horror
mortis; quippe omnibus moriendum
esse, etiam Christo fuisse mortem sub-
eundam, postquam homo mortalis
esse coepit: tum induendus mundi,
rerumq; mundanarum contemptus:
hanc vallem esse malorum, & miseria-
rum, plenum periculis, & naufragiis
mare: Beatos, qui feliciter in portum
caelestem enauigârint: aspirandum
potius ad res caelestes, & Diuinas;
maximè omnium procuranda Eccle-
siae Sacramenta, quibus animus muni-
atur contra dæmonum impugnationes:
tum virtutum actus feruenter, &
sæpe exercendi, præsertim Fidei, Spei,
Amoris Dei, & proximi, Contritionis,
Resignationis in diuinam voluntatem,
ad extremum constantis Patientiæ.
Hanc in rem istarum virtutum for-
mulam tenebis ipse, & docebis infir-
mum, verbis præeundo, vti ipse vel
ore si possit, vel saltem animo sequatur.
Pro fidei protestatione recitabis infir-

mo sigillatim per articulos Symbolum
Apostolorum, vt ad singulos ipse re-
spondeat, vel annuat: Tecum tandem
sic concludet: *Ego in hac fide Ecclesia
Catholica, & Apostolica, extra quam sal-
uus nemo esse potest, protestor me velle vi-
uere, & mori: quod si aliquid contrarium
huic meae protestationi demon mihi quo-
modocunq; ingesserit; ex nunc, dum adhuc
mihi sum praesens, & mentis compos, ab-
horreo pro tunc, ex animo, & detestor.*

Porro quia spes nostra nititur bo-
nitate Dei, & morte Christi Redem-
ptoris, simulque petitione mediorum,
ad vitam aeternam consequendam;
subiicietur haec oratiuncula, ad actum
spei formandum: *Domine DEVS,*
vti par est, & iubes: ita de te summo bono
in bonitate, & misericordia sentio: quod
me non creasti, vt aeternum perderes.
Confido itaq; in te, & in Passione, Cruce,
morte, & meritis Christi IESV, mei Re-
demptoris, & in ipsius Sacramentis, quae
instituit, non in meis meritis, aut operibus,
quae

que sine gratiâ Christi scio nullius esse va-
loris: da mihi, bone *IESU*, per tua illa
merita, da omnia, que scis mihi necessaria,
ut perseuerem in tuâ gratiâ, & ut te in
calo potiar, Amen. Subiungatur in fine
Oratio Dominica, & Angelica Salu-
tatio.

Inflammabis deinde maximè infir-
mum ad frequentem actum Charita-
tis, Amoris Dei, & proximi propter
Deum, simulque perfectę Contritionis;
cum resignatione & oblatione animi
parati ad omnia agenda, & ferenda
fortiter, iuxta sanctissimam Dei vo-
luntatem: qui omnes actus compre-
henduntur expressâ sequentis Orati-
onis formulâ: *O DEVS mi, bonitas infi-*
nita, ego te amo super omnia, te ex toto
corde meo, ex totâ animâ, ex totis viribus
diligo; ideôq; volo omnia tua precepta im-
plere, & me semper conformare sanctissima
tue voluntati, quia dignus es super omnia
amari, & plus infinities, quàm amare
possim. Doleo ex intimo corde, quòd Ma-

iesta

iestatem tuam, ac bonitatem peccatis meis
 offenderim, quam debeo, & nunc volo
 amare, amôq₃ super omnia; idq₃, quia tu
 es DEVS infinite potens, sapiens, sanctus,
 & bonus, cui peccatum supra, quam dici
 potest, summè displicet & aduersatur.
 Quare propter hunc tuû amorem firmiter
 statuo, non ampliùs te offendere, omnes
 peccandi occasiones fugere, ritè confiteri,
 poenitentiam implere, omne id, ad quod
 obligor, facere; imò ut pleniùs satisfaciam,
 remitto nunc ex animo, si quis me unquam
 offenderit, meq₃ totum tibi offero, simûlq₃
 omnia, qua mihi toleranda erunt, vel a-
 genda; utq₃ suppliciter peto veniam deli-
 ctorum meorum, ita spero fore per meritû
 pretiosissimi sanguinis tui, bone IESV,
 ut impetrem, quod peto, tuâq₃ adiuuante
 gratiâ vitam corrigam, & ad mortē vsq₃
 in tuo seruitio perseuerem, Amen. IESV.

Hanc formulam amoris DEI su-
 per omnia, & perfectæ contritionis,
 quam clauem cæli auream appellant,
 variis linguis prælo datam, & per tot
 cente-

centena hominum millia in orbe Christiano dispersam, expediret te habere in multis exemplaribus scriptis, aut impressis, ut infirmis vsui esse possint, praesertim circa finem vitae; quam ipsi deuotè legerent identidem, aut à suis sibi legi curarent. Nam plurimum valent isti actus ad felicem mortem, & gratiam Dei, aut recuperandam, aut augendam: quæ causa est, cur Pastori plurimi in scholis, & publicis Catechismis, aut Concionibus curent praesente vno à cæteris omnibus clarè recitari per partes, atq; ita memori-ter addisci, saltem quoad sensum; ut tum sani, tum maximè infirmi, eos tam necessarios, & salutare actus eliciant. Tu quæso istos imitare: fructum non poenitendum experieris. Prouidendum etiam, ut si quibus debitis, aut votis teneatur, & præstare possit infirmus, ea exsoluat eo modo, quo est obligatus. Præterea familiam rectè componat, quantum potest, si in eà

discor-

discordiæ sint, aut odia: denique eam horretur ad fidem in Deum, & bonam vitam, suisque exemplum piæ mortis relinquat.

NVM: III.

Modus inuandi iam in extremis constitutos.

Hic iam plus operis, ac laboris est, vbi ex vno iactu de totâ re luditur, tanti res momenti, vt ex eo pendeat æternitas: ferè in hoc tempus quadrant eadem, quæ paulò antè pro grauiter infirmis attulimus; nisi quòd maiori vtendum sit compendio, & nonnullâ aliâ praxi, & cùm iam magis vires, & animi morientem deficiunt, vide, an tibi arrideat hæc praxis. Ostende agonizanti Crucifixi effigiem: *Hoc est, inquires, Vexillum Christianæ militiæ, hic est Dux noster, IESVS Crucifixus*; tum mone, vt tecum ore, vel saltem mente hæc proferat: *O mi IESV, credo in te* (hic præbe

præbe

præbe exofculandum Crucifixum) mox: *O mi IESV, spero in tuâ passione, & tuis vulneribus, ubi me recondo.* (osculanda hîc quinque Christi vulnera.) Denique posito Crucifixo supra pectus: *O mi IESV, amo te ex toto corde meo super omnia, ideôq; doleo, quòd diuinam tuam Maiestatem, & bonitatem infinitam toties in vitâ meâ offenderim: dimitte vniversa peccata mea mihi, sicut ego ex animo condono omnibus, qui quoquo modo me offenderint, simûlq; veniam peto ab omnibus, quos offendi.*

Præter hæc habebis in promptu breues, & appositas oratiunculas, quas iaculatorias vocant. Eiusmodi sunt hæ: *IESV, esto mihi IESVS, id est, Saluator. Sancta MARIA, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc, & in horâ mortis nostræ. Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & mortis horâ suscipe.* Ad Angelum Custodem, aliôsque Sanctos Patronos, & inter hos nominatim ad S. Iosephû,

• & S.

& S. Barbaram pro felici morte, similes precatiunculas suggeres. Monendus erit præterea infirmus, vt in agone sæpe ore, vel saltem corde piè inuocet Sanctissima illa nomina, IESVS, MARIA, præsertim pro lucrandis indulgentiis, si sit de aliquâ Confraternitate; quem etiam in vsum monui, vt semper penès te habeas aliquod numisma, aut granum benedictum, quo ille vti possit: monendus, denique, vt oblatam, imò captatam vtrò occasionem arripiat, sæpius impetrandi à Sacerdote absolutionem: præsertim si quid conscientiam perturbet, imò etsi nihil grauius occurrat, intelligat sufficere, si nihil aliud conscientiam vrgeat, leue aliquod peccatum confiteri, saltem de vitâ præteritâ; sæpius enim id fieri, cum morbus est grauior, expedit tum ad maius meritum, & robur contra tentationes; tum, vt si quid fortassis memoriâ exciderit (quod fit facilè in
iis,

iis, qui subinde delirant) simul absolui possit; huc etiam hoc pertinet, sufficere, ut in ultimo agone constitutus à quocunque Sacerdote praesente absolui possit, (quod maximi est beneficii) si dum est sibi praesens, significet se cupere in extremâ illâ vitæ periodo de suis peccatis absolui; absolui enim poterit, cum Sacerdos aderit, idque cognôrit se ipso, aut si aliter fieri non potest, ex aliis, modò non sciatur priorem voluntatem mutasse. Ante discessum asperge aquâ lustrali, & præbe Crucifixum ad osculandum: domesticos verò mone, ut si infirmus, vel res ipsa exigat, te reuocent, facillimèque te præbe. Interim subinde, praesertim in extremis, aquâ benedictâ aspergant, Crucifixum oculis obiciant, sancta nomina pronuntient, & pias preces fundant: caueant tamen, ne obtundant, aut molestent, multò magis ne intrò subeant, qui conscientiam perturbent, aut ne ipsi

INCON-

incon
 tionib
 anima
 nizan
 in alte
 pirari
 cibus,
 tendar
 los, v
 enim
 duntur
 comm
 occlu
 crude
 sibi o
 specu
 tus d
 quia
 defun
 curen
 altari
 tione
 ibi cr
 Qu

inconditis gemitibus, aut vociferationibus affligant: denique cum iam animam exhalaturus videtur, in agonizantis manu vnâ Cereum lucentem; in alterâ Crucifixum teneant: vbi expirarit, non tam eiulatibus, quàm precibus, & iuuandæ animæ vacent: attendant verò maximè, ne statim oculos, vel ora præsertim occludant: fit enim non rarò, vt qui expirâsse creduntur, aliquoties respirent, seque commoueant; vnde præproperâ illâ occlusionem præ suffocari possent, quod crudele est, & impium. Dent igitur sibi orando aliquam moram, & vel speculo, vel plumulâ, an omnis halitus defecerit, diligenter explorent: quia verò maximè Missæ sacrificium defunctis prodest, quantocyùs procurent illud celebrari, præsertim in altari aliquo priuilegiato, pro liberatione animæ ex purgatorii ignibus, si ibi crucietur defunctus.

Quæres fortassis: an tenearis ipse
mori-

moribundo die noctūque adesse, donec
exspirârit, & animā deinde DEO com-
mendare? probè id feceris, si feceris;
imò si necessitas salutis deposceret, &
per alium non possis, teneris ipse non
deserere, tentareque extrema omnia,
vel in ipsis extremis; etsi fortassis mi-
nori fructu: istud tamen non erit exi-
guum, quod officio boni pastoris
perfunctus videbere: orationes, quæ
à te, tanquam Ecclesiæ ministro, pro
commendatione animæ funduntur,
plurimum valent: ideòque etiam
cùm iam sensu, aut ratione carent, non
negligendæ: neque rarò fit, vt mori-
entes, etsi nihil sensibus externis per-
cipere videantur, tamen quæ dicuntur,
agunturue, intelligant: vt nonnulli,
cùm ad se redierunt, sunt testati, ideò-
que neque tunc prætereunda, quæ
paulò superiùs attulimus de morien-
tibus iuuandis: breuiùs tamen iam,
& per quædam interualla.

NVM:

NVM: IV.

Quando sepeliendus mortuus?

Caveant ii, quibus exequiarum, & funeris cura incumbit, ne statim à morte obitâ sepeliant; minùs humanum, aut vrbanum est, corpus exanime mox in sepulchrum proiici, aut humo tegi, & subinde periculosum. Noui puer hominem, qui ex vino combusto largiùs sumpto ita refrixerat, & impalluerat, vt pro mortuo sindoni insuëretur: at cùm primum se acu pungi sensit, corpus mouere cœpit, & paulò pòst occlamare. Præterea quendam audiui extremo supplicio affectum, cùm obtentâ sacrà sepulturâ delatus esset ad locum, repentè se commouisse, & aliquamdiu vixisse. Annales Rectorum huius Vniuersitatis referunt, alium è patibulo à carnifice suspensum, cùm post quinque, vel sex horas, à suspendio delatum cadauer ad Anatomiam in

L

cali-

calido loco depositum, se mouisse, & planè sibi redditum. Ob hanc, opinor, rem, & cuiusdam in mortuum pietatis causâ, alicubi per viginti quatuor horas, alibi saltem per duodecim, defunctorum corpora loco honesto, & à bestiis, quæ infestare possent, securo, asservantur cum cruce, & lumine, nonnullis etiam orantibus. Excusare possunt has moras aliqua nonnunquam causæ: Tu obseruabis receptam tuo loco consuetudinem, & cum opus fuerit aliquâ maturacione, à prudentiâ consilium peres.

Iam quod ad diem, & horam sepulture attinet, non video, quid vetet etiam diebus Dominicis, & Festis, imò die ipso Paschæ mortuos sepeliri, si ratio id exigat, neque propterea celebritas Festi diei impediatur. Die tamen Veneris sancto si sepelias, abstinendum erit à pulsu Campanæ, qui tunc est prohibitus. De nocte priuatim sepelire quibusdam locis prohibent

benr Episcopi; quibus tunc parendum est: nam publica sepultura ritus est Religionis Christianæ, & honor Christiani defuncti, atque immortalitatis animæ publica professio. Consuetudo quibusdam in locis fert, vt Missa, præsentem corpore, ante sepulturam celebretur; eam tu obserua, si apud te recepta est. Non conuenit tamen Festis, præsertim solemnioribus, fieri Missam de Requiem, nisi Missa altera haberi possit de festo.

NVM: V.

De Exequiis, loco sepultura, & functione funebri.

EXequias fieri, & corpus duci honestè, & decenter, sacrosque ritus obseruari, iuxta receptam tuæ Parochiæ consuetudinem, Christianæ pietati consentaneum est. Cauebis autem, ne nouæ consuetudines inducendo funere inducantur; multò etiam magis, ne quid, quod sapiat supersti-

L2

persti-

perstitutionem: eos, qui iure à sepultura Ecclesiasticâ non excluduntur, ne sepelias loco profano, nisi ex causâ graui, ad tempus. Si Medici corpus pertant ad Anatomiam, & illi, quorum interest, consentiant, permittes pro bono communi.

Turpe est, neque satis Christianum, pauperes mortuos nullo ritu sacro duci, aut proiici in locum non sacrum; & repugnat Rituale Romanum Pauli Quinti, his verbis: *Pauperes, quibus mortuis nihil, aut tam parum superest, ut propriis expensis humari non possint, gratis sepeliantur, ac debita lumina, suis expensis, si opus fuerit, adhibeant Sacerdotes, vel aliqua pia Confraternitas.* Profectò offenduntur nonnulli, cum vident pauperes nullo ritu efferri, & temerè abici, vel sordidè conquiri pro funere eleëmofynas; adsit vnus saltem Sacerdos, qui breui prece leuiter humo tegat. Idem Rituale prohibet, ne Parochi, aliue Sacerdotes quidquam pro

pro functione funebri de pretio paci-
scantur ; aut tanquam debitum exi-
gant pro suo libitu ; sed iis eleëmofy-
nis sint contenti, quas consuetudo, aut
Ordinarius concesserit. Igitur ita te-
geres : rogatus mortuum, nullâ pretii
mentionem factâ , absq; molestiâ , aut
tergiuersatione sepelies ; si ii, qui sum-
ptus facere debent, id, quod consue-
tudine , vel statuto Episcopi iustum
est, non offerant, exigere poteris post
aliquot dies funeris : si negent, expe-
rire omnem aliam viam ; si neque sic,
age iure coram tribunali Episcopi.

Hic verò etiam istud memineris,
prohibitum sub graui culpâ , & panâ
excommunicationis, ne Parochi ali-
quem inducant ad promittendum,
aut iurandum, se accepturum sepultu-
ram in tuâ Ecclesiâ, aut quam antea
elegisset, minimè mutaturum : adeò

in sacris auaritiæ sordes
cauendæ.

L 3

NVM:

*Quibus neganda sepultura iuxta Sacros
Canones.*

Primò. Nemini concedes, qui Ba-
ptismum vel fluminis, vel saltem
sanguinis, re ipsâ non acceperit; ne-
quidem infanti Christianorum mor-
tuo absque Baptismo, nisi fortè ad-
huc esset in visceribus maternis, tunc
enim censeretur adhuc quasi pars
matris, ideòque cum illâ sepeliri pos-
set. Si dubitas de valore Baptismi,
ob materiam, vel formam dubiam, vel
an infans viueret, cum baptizaretur;
remanente dubio sepeliri potest in fa-
uorem Baptismi: alioqui sepulturâ
non baptizati violatur locus sacer, ex-
tractòque cadauere, si pars eius super-
sit, reconciliandus est.

Secundò. Arcebis Apostatas à Fi-
de, Schismaticos, verè Hæreticos, eo-
rùmque Fautores, si impœnitentes
mortui sint.

Ter-

Tertiò. Ratione excommunicationis maioris hæc obserua iuxta Canones: si mortuus est quicumque excommunicatus vitandus, vt sunt excommunicati nominatim, & percussores alicuius Clerici; quamuis dederit signa pœnitentiæ ante mortem, ne sepelias, nisi sit absolutus, vel absolnatur ab excommunicatione ab eo, penes quem ea est potestas; alioquin, violatur locus sacer, vt iam dictum est de non baptizatis. Quoad excommunicatos autem toleratos aliqui censent, posse communicare cum aliis in loci sacri sepulturâ: Dubitaret tamen aliquis; quia hoc facto videretur impensus illis fauor. Interdictos nominatim, aut in loco interdicto mortuos, etsi pœnitentes mortui sint, ne sepelias; nisi similiter relaxatâ pœnâ per legitimum Superiorem.

Quartò. Caueas sepelire mortuum in ipso duello, saltem si in loco occubuerit; quantumuis signa pœnitentiæ

248 *Institutionum Pastoralium*
tix ediderit ; id enim prohibet spe-
cialiter Tridentinum, in detestationem
tam perniciosi criminis.

Quintò. Præter suprâ dictos etiam
excludes illos, qui ex desperatione, vel
irâ voluntariâ sibi mortem intulerint
nisi antequam exspirarent, pæniten-
tiæ signa ediderint, aut nisi prudenter
putentur fuisse alieni à mente. Idem
age cum iis, qui moriendo blasphe-
mas voces emisissent: nisi similiter fe-
cerint à mente alienati, aut per inad-
uertentiam ; aut nisi pænituerint, an-
tequam animam efflarent.

Sextò. Priuatis sepulturâ eos, de
quibus publicè constat, intra annum
non fuisse confessos, aut ad Pascha
non communicâsse absque causâ pro-
babili, aut nisi ante mortem pænitue-
rint.

Denique generatim neminem ad-
mittes, de quo publicè constet, mor-
tuum in statu peccati mortalis. Quo-
ties autem in particulari dubium erit
crimen,

crimen, vel factum, ob quod Canones negant sepulturam, referes ad Episcopum; cùm hæc res sit grauis.

Aduerte autem, eum, qui est sepultus, cùm per Canones non posset, exhumandum esse, nisi maiora mala timeantur: de quâ re consulendus Episcopus, præsertim circa cadauera Hæreticorum; de quibus numero sequenti. Interim hîc obiter monendus es.
1. ne ignotos sepelias, priusquàm probabilia indicia habeas vixisse Catholicos. 2. si quisunque mactatus iaceat, ne prius terræ mandes, quàm Magistratus de factâ cæde fuerit conscius; id enim postulat Ordo, & Ratio Juris.

NVM: VII.

Quid igitur agendum cum Hæreticis sepultis?

Peculiaris est hæc difficultas in his locis, & similibus, vbi promiscuè Hæretici cum Catholicis vi-

L 5

uere

uere permittuntur, quando præsertim Hæretici sunt potentes: frequenter enim accidit, vt templa fuerint Hæreticorum, & deinde à Catholicis recuperentur; interim verò Principes Catholici, siue Ecclesiastici, siue Sæculares, multa contra Ecclesiasticas constitutiones iis permittant, ad vitandum maius Ecclesiæ, & Religionis malum: imò aliquando vsurpare velint Hæretici sepulturam loco sacro, vbi Catholicus est Parochus. In hac perplexitate quid agere debeas, mi Neo-Paroche, si me consulas, nescio, quid consulam: Variæ enim circumstantiæ expendendæ, ex loco, tempore, personis, & discrimine maioris mali. Hoc monere te possum: vide, quid tuo loco consuetum sit. Inquire, si dubitas, quæ mens sit Episcopi; & ita age, vt neque sis contra sacros Canones facilior, neque contra bonum publicum difficilior.

CAPVT VII.

Circa Sacramentum Matrimonii.

SI vnquam, sanè attendere debes
in administratione huius Sacra-
menti, ne quid tu, vel alii peccent;
præsertim circa impedimenta, quæ
Matrimonium dirimunt: inde enim
proueniunt infaustissimæ nuptiæ, &
triciæ, ac laquei animarum postea
propemodum inextricabiles: quare
ipse probè nôris, quæ & qualia sint
eiusmodi impedimenta, & modos
præuertendi; neque enim vnquam
occurrunt tot casus, tam perplexi,
quàm in causis Matrimonialibus, qui-
bus maximè Episcoporum tribunalia
agitantur; ideòque sæpe ad Vicarium
Generalem vel tibi erit recurrendum,
vel alii ad alium remittendi, cum du-
bium accidet. Ero in fusissimâ alio-
quin hâc materiâ breuis, & veluti com-
pendium proponam, vt summam ha-
beas ad manus,

L 6

NVM:

De inquirendis ante Denuntiationes.

PRIUSQUAM Banna (vt vocant) siue ineunda inter certas personas matrimonia , publicè denunties ; consultissimum est , vt vel ex ipsis , qui contrahere volunt , vel iis , qui eorum causâ te adeunt , diligentius inquiras : Primò. An fortè castitatis voto non sint obstricti. Contingit enim non rarò , vt Adolescentes pueri , vel puellæ in primâ ætate immaturâ , & imprudenti , tamen sufficienti , ad castitatis votum profilierint , vnde à Matrimonio contrahendo impediuntur. Nam *in illis* (inquit ex Apostolo Augustinus) *que vouerunt castitatem , non solùm capeffere nuptias , sed etiam nubere velle damnabile est ;* vel quia non valet Matrimonium , si vorum fuerit solemne ; aut si fuerit simplex , saltem illicitum est contrahere , & coniugale debitum exigere , ante dispensationem.

Secun-

Secundò. Interrogabis, an futuri Sponsi fidem alteri non dederint, quâ adhuc teneantur; alioquin perfidus est, qui fallit. Quare subinde populum pro Concione moneas, vt caueant sibi puellæ à Iuuenibus insolentibus, vt fit, qui fallacibus promissis, & illecebris, fide etiam iuratâ Nuptiarum, eas seducunt. Non rarò enim illi quærunt aliud nihil, quàm vt deturpent, ac deinde deserant, quanto cum dedecore, & quibus nonnunquam lacrymis? Caueant quoque iuuenes à puellis inconstantibus, quæ & ipsæ subinde alliciunt, & æquè (vt sunt inconstantes) aliò amores, & nuptias transferunt.

Tertiò. Inquires, an Parentes consenserint; eorum enim est prolibus consulere, præsertim in tam graui negotio; ideòque licèt Matrimonium secùs initum valeat; tamen iis rationabiliter inuitis, illum vitæ statum eligere, non modò irreuerentiæ est, sed

etiam iniuriæ erga patriam potestatem. Ingressûs in Religionem alia est ratio; hîc enim DEVS magis, quàm parentes, consulendus. Expedi igitur de iis pro concione populum edoceri, simul tamen grauissimè reprehendi parentes, qui metu graui, vehementibus minis, aut etiam verberibus, proles ad ineundas nuptias cogunt, cùm statum castitatis, aut Religionis elegerint; aut cùm inire Matrimonium decreuerint, nimium vrgent, vt in Monasterium se intrudi sinant; aut certè, vt cum iis contrahant, quas nollent: quibus ex rebus quæ scandala, & damna animarum sequantur, satis dici & deseri non potest.

NVM: II.

Denuntiationes.

TRidentinum sess. 24. de reform. Matrim: cap. i. vt impedimenta, & grauissima incommoda præcaueri possint, vult tres denuntiationes à
pro-

proprio contrahentium Parochò , tribus continuis diebus festiuis in Ecclesiâ, inter Missarum solemnias , publicè fieri ; quæ res , cùm de se grauis sit , grauiter obligat , nisi quid excuset. Igitur id exactè obseruabis.

Si tamen clara, & grauis necessitas vrgeret contractum matrimonialem, nec denuntiationibus locum, vel tempus daret , ob imminens graue damnum ; vt si periclitans de morte, vellet ducere concubinam ad legitimandam prolem , neque adiri Episcopus possit, censeris habere consensum. Si probabiliter timeatur, ne Matrimonium , præmissis denuntiationibus malitiosè impediatur , neque tempus patiatur Episcopum consuli ; sunt, qui censent, banna posse tuâ authoritate differri, modò fiant , priusquam Matrimonium consummetur.

Episcopus ex iustâ causâ, eâque multiplici dispensare potest in occurrentibus causis : ad eundem erit, si fieri possit,

lit,

256 *Institutionum Pastoralium*
fit. Consuetudo, & interpretatio Do-
ctorum circa interpolationem, aut
trinam denuntiationem, itémque circa
tempus, & locum denuntiationum
quædam mitigat, de quibus consule
Casistas. Non expedit autem eodem
die, quo fit tertia denuntiatio, ma-
trimonium celebrari, ne subtrahatur
tempus ei, qui vellet reuelare impedi-
mentum: quantum verò differri pos-
sint nuptiæ, post trinas denuntiatio-
nes, vide, quid statutum, vel consue-
tum sit. Si alteruter futurorum Con-
iugum ad te non pertineat, vel in tuâ
Parochiâ non admodum diu habita-
uit, cures denuntiationes fieri eo lo-
co, vbi habitant, vel diutiùs habitâ-
rint, non in loco natiuitatis, ideo
tantùm, quòd ibi nati sint: quâ
in re aliqui fallun-
tur.

••(o)••

NVM:

NVM: III.

De Impedimentis reuelandis.

Qui denuntiationibus factis nouit aliquod impedimentum, tenetur sub culpâ graui illud manifestare, quamuis sit occultum, vt fert communior sententia; imò etiã si iuratò nouerit, modò non id nôrit ex Sacramento Confessionis, idque tum, vt pareat Ecclesiæ præcipienti, tum vt graue aliorum damnum impediatur; modò id aperire possit absque magno suo incommodo, aut absque probabili scandalo ex eâ reuelatione secuturo. Probabilius autem est, reuelandum, etiam cum impedimentum ita occultum sit, vt probari non possit, modò moraliter sit certum subesse: quare si tantum nôris ex auditu ab homine fide indigno, vel nihil certò sciente, non teneris: secùs, si persona fide digna sit, & certò asseuerauit. Hic autem sufficit vnus testis fide dignus, quia
non

non agitur de poenâ infligendâ, sed de damno auertendo. Aduerte, si impedimentum ex peccato occulto oritur, priùs fraternè admonendum esse eum, qui eo impedimento laborat, vt desistat, modò sit spes profuturæ monitionis, alioqui denuntiandum; quia impedimenta dirimentia reddunt Matrimonium nullum, quamuis occulta. Sis tu igitur ad hæc attentus. Cùm primùm autem impedimentum sufficiens ad te delatum fuerit (quod expedit scripto ipsius deferentis excipi) desistes à progressu vltiori, quantumuis vnus solus detulerit, quicumque, modò fide dignus; aut si ipse sufficienter nôris (modò non ex Confessionis Sacramento.) Negotium autem hoc remittes ad Episcopum; neque enim ad te spectat discernere de impedimentis, sed ad Superiorem, qui Iurisdictionem habet in foro externo.

NVM:

NVM: IV.

*De impedimentis Consanguinitatis, Affi-
nitatis, & Cognationis Spiritualis; qua tria
Impedimenta saepe, & facile oc-
currunt.*

Consanguinitas est vinculum per-
sonarum, ab eodem propinquo
stipite descendantium, vel ascenden-
tium, carnali propagatione contra-
ctum. Distinguitur per lineas, & gra-
dus: Lineæ sunt personæ tam ascen-
dentes, quàm descendentes, vel rectè,
vel transuersè: Gradus dicitur Men-
sura personarum, quâ cognoscitur,
quàm sint propinqui, vel distantes in
lineâ. Linea alia est recta ascenden-
tium, aut descendantium ab vno, ita
vt vna persona mediatè, vel immedia-
tè sit gignens, alia genita: Ascenden-
tium est respectu Filii, Pater, Auus,
Proauus, Abauus: Descendantium
verò à Patre, Filius, Nepos, Pronepos,
Abnepos, Alia linea dicitur Colla-
teralis,

teralis, cum personæ ab vno quidem stipite communi immediatè, vel mediatè procedunt, non verò ex se invicem; vt fratres, horum filii. Stipes est persona illa, vnde illi, de quorum consanguinitate tractatur, originem ducunt. Porro ad discernendum gradus, tres regulæ assignantur.

Prima est: In lineâ rectâ tot sunt gradus, quot sunt personæ, dempto stipite communi; sic pater & Filius, sunt in primo gradu, quia dempto patre remanet vnus, filius scilicet: Pater verò, & nepos in secundo; quia sunt hîc personæ tres, Pater, filius, & Nepos: deme patrem, remanent duo.

Secunda regula est: Personæ verò in transuersâ lineâ æquali existentes, tantum distant inter se, quantum distant à communi stipite proximo: ita duo fratres distant in primo gradu inter se; quia singuli vno tantùm distant à Parente. Filii autem duorum fratrum in secundo; quia ita distant

distant à communi stipite proximo, qui est Auus. Tertia regula: Si autem personæ distent in lineâ transuersâ, inæqualiter à communi stipite; habenda est ratio gradûs magis remoti: sic Patruus & filius ex fratre, distant inæqualiter ab Auo, in quo vniuntur; ideo licet Patruus distet à communi stipite in primo gradu, tanquam filius; quia tamen filius ex fratre, ab eodem stipite distat in secundo gradu, quippe illius nepos, censentur distare inter se in secundo gradu. Aliter quidem numerat Ius Ciuile; sed cum causa Matrimonialis propriè pertineat ad Tribunal Ecclesiasticum, gradus numerandi sunt iuxta eius dispositionem. Porrò iure Ecclesiastico Consanguinitas intra quartum gradum, inclusiue tam lineæ rectæ, quàm transuersalis, reddit Matrimonium inter consanguineos inualidum. Nota, cum petitur dispensatio, iuxta stylum

Roma-


Romanum explicari debent lineæ, & gradus, & quidem cùm in lineâ transversâ inæquales sunt gradus, etsi remotioris ratio potior habeatur; tamen etiam declarari debet iste, qui est propinquior stipiti communi; quia istud facit ad faciliorem vel difficiliorem dispensationem.



SCHEMA

Schema, siue
Arbor.

Consanguini-
tatis.



Masculus, hic sculptus,
aut Foemina loco illius
posita, nequeunt contrahere
cum ullis personis hic as-
signatis, quia omnes
sunt intra quartum gradum
Consanguinitatis.

Si petatur dispensatio,
declaretur in qua linea, et
quoto gradu tam ex parte
unius contrahentium, quam
ex parte alterius.

Conjunctio
militaris

Schola sine
Arbor

Magnus
Magna
IV

Magna
Magna
IV

Magna
Magna
IV

Magna
Magna
III

Magna
Magna
III

Magna
Magna
III

Magna
Magna
II

Magna
Magna
II

Magna
Magna
II

Magna
Magna
I

Magna
Magna
I

Magna
Magna
I

Magna
Magna
II



Magna
Magna
II

Magna
Magna
III

Magna
Magna
I

Magna
Magna
III

Magna
Magna
IV

Magna
Magna
II

Magna
Magna
IV

Magna
Magna
III

Magna
Magna
IV

Magna
Magna
ex parte
Magna
Magna
ex parte

Magna
Magna
ex parte
Magna
Magna
ex parte

pro
citat
telat
tur
to
qui
finit
gra
roer
ear
fact
car
Aff
qui
mar
gen
Mar
qua
fuer
mor
vqv
fue
Con

Iam verò Affinitas est propinquitas
proueniens ex carnali copulâ siue li-
cità, siue illicitâ, omni carens paren-
telâ. Eius lineæ, & gradus numeran-
tur, sicut consanguinitatis: nam quo-
to gradu quis consanguineus est viri,
qui cognouit aliquam; eodem fit Af-
finis foeminæ ab eo cognitæ: & quoto
gradu quis est consanguineus huic
foeminæ; fit in eodem affinis viro, qui
eam cognouit. Ex quo enim duo illi
facti sunt per copulam carnalem, vna
caro; consanguinei vnus reputantur
Affines alterius. Ad hoc autem re-
quiritur, vt copula fuerit consum-
mata, ex quâ scilicet sequi potuerit
generatio. Porro Affinitas reddit
Matrimonium inualidum vsque ad
quartum gradum inclusiuè, si copula
fuerit licita, siue ex legitimo Matri-
monio. Si verò illicita fuerit, tantùm
vsque ad secundum inclusiuè: Schema
siue Arbor Affinitatis eadem erit, quæ
Consanguinitatis, si loco Pater & Ma-
ter

ter

ter in trunco arboris substituatur vir & mulier, quæ inter se habuerunt copulam; siquidem omnes Consanguinei viri, sunt Affines mulieris, & e contra Consanguinei mulieris, sunt Affines viri, in pari gradu. Attende, incurri ipso facto excommunicationem ab iis, qui scientes audent contrahere in gradibus consanguinitatis, vel affinitatis prohibitis. Caue autem, ne putes, Consanguineos Mariti fieri affines Consanguineis Fæminæ, vel e contra; nam affinitas non parit affinitatem, in quo aliqui subinde errant. Hinc duo fratres possunt ducere duas sorores genitas ex aliis parentibus, quàm ipsorum propriis: imò Caius habens filium Sempronium, si ducat Caiam, quæ habet filiam Semproniam ex alio; filius Caii poterit ducere filiam Caiæ, si nihil aliud obstet; certè non obstat affinitas, quæ in illis nulla est.

Ulteriùs Cognatio Spiritualis oritur ex Sacramento Baptismi, vel Confirmatione.

firmationis; sed tantum inter Baptizantem & Baptizatum, eiusque Patrem & Matrem; item inter susceptorem & Baptizatum, & Parentem utrumque eiusdem: quod simili proportione de Confirmatione dicendum. Vide Tridentinum sess. 24. c. 2. de Reformat: Quid autem requiratur ad contrahendam hanc cognationem, ex parte præsertim Patrinorum, lege apud Auctores, qui ista ex professo tractant.

NVM: V.

De vi intentatâ, vel metu, & de cultu dispari.

HÆC duo etiam sunt satis frequentia. Primò violentia, vel metus, si gravis sit, siue cadens in virum, constantem, reddit matrimonium invalidum, modò hæ conditiones subsint: primò sit iniuste incussus: secundò, à causâ intrinsecâ liberâ: tertio, ad extorquendum vi, aut metu, consensum matrimonii: aliter non

M

diri-

dirimit; sicut nec metus leuis: quomodo autem conditiones illæ tres explicentur, fasè apud Sanch: & alios reperies: possunt quidem parentes ex causâ iustâ conari impedire bono modo, ne proles malè Matrimonium in-
eant; non tamen possunt eas cogere vi, aut metu: quo casu autem illicite moras nectunt, tu ne progredere in denuntiationibus, donec inter se com-
posuerint, aut certè Episcopum consule. Similiter Matrimonium inter Baptizatum & non Baptizatum non valet, ob disparem cultum. Valet autem inter fidelem, & personam hæreticam; sed communiter est illicitum: in Germaniæ tamen, Galliæ, Poloniæ partibus valde infectis hæresi, vbi Catholici Hæreticis sunt permixti, aliqui putant licere Catholico hæreticam educere, & contrà: modò persona Catholica liberè permittatur retinere fidem, & in eâ prolem educare, absitq; periculum peruersionis. Verùm quia
hoc

hoc difficile est, ideo talia connubia
dissuadebis, præsertim cum possint
confusiones graues ex causâ diuersæ
Religionis suboriri.

NVM: VI.

*De impedimento ligaminis, & publicæ
honestatis.*

Ligamen hæc dicitur vinculum, vi-
uente adhuc personâ prioris con-
iugii; quâ superstitè nullum esse Ma-
trimonium cum alterâ personâ clarum
est. Quare incumbit tibi attendere,
præsertim circa personas ignotas, &
quæ aliquando Matrimonium iniue-
rint; requiritur enim certitudo, sal-
tem moralis, de morte alterius con-
iugis, ex arbitrio prudentum, attentis
circumstantiis omnibus; veriùsque est
non sufficere vnicum testem, etsi ali-
qui putent sufficere fide dignum, si
coniunx obierit in loco distantè, neq;
haberi possint aliæ probationes; non
sufficit autem longissima absentia, nec

sola fama mortis; nisi fortè tanta simul essent indicia, vt prudenti nullus amplius dubitandi locus relinquere-
tur. Vide Sanchez.

Honestas publica etiam dirimit Matrimonium: est autem propin-
quitas proueniens ex sponsalibus
validis, & cum certâ personâ: ne-
que refert, quòd sponsalia fuerint
dissoluta, nisi fortè, si mutuo con-
sensu: nunc tamen tantùm dirimit
vsque ad primum gradum, & quidem
soliis consanguinitatis: impedit au-
tem etiam post mortem alterius ex
sponsis. Præterea idem impedimentum
oritur ex matrimonio rato, licèt irri-
to, modò ex aliâ causâ, quàm ex de-
fectu consensûs, & quidem hoc vsque
ad quartum gradum inclusiuè; id enim
declarauit Pius V. apud Sanchez.

NVM: VII.

*De impedimento Impotentia, Raptûs,
& reliquis.*

Impo-

Impotentia consummandi antecedens, si sit perpetua, id est, quæ non possit remoueri arte humanâ, aut sine probabili periculo animæ, vel vitæ corporalis, impedit valorem Matrimonii cum eâ personâ tantum, respectu cuius est Impotentia. Nota tamen, ex solâ senectute non rectè colligi perpetuam impotentiam, cum etiam senes possint nonnunquam perficere actum conjugalem, præsertim si arte medicâ iuuentur: sic morbus diuturnus, etsi interim reddat impotentem ad copulam, non censetur impedimentum dirimens, si aliunde æger videatur potens. Sterilitas de se non invalidat matrimonium; modò adsit potentia copulæ. Huc pertinet Impubertas, quæ etiam Matrimonium dirimit, ea autem censetur in Masculo, usque ad annum 14. completum, in feminâ verò usque ad duodecimum similiter completum. Excipitur autem casus, quo malitia supplet ætatem, id

M 3 0

est,

est, quando ante illos annos non ab-
esset sufficiens discretio, ad contrahen-
dum matrimonium, & extraordinarie
adesset potentia generandi.

Raptus est subductio violenta foe-
minæ contra ipsius, aut parentum, aut
eorum, sub quorum potestate est, vo-
luntatem, ex loco vno in alium distin-
ctum, siue ad fornicandum, siue ad
eam ducendam in vxorem; ita com-
muniter Doctores, Concil. Trid. sess.
24. c. 6. de Ref. præter grauissimas
pœnas, statuit, vt Matrimonium in-
ter Raptorem & Raptam inualidum
sit, quamdiu rapta remanet in pote-
state Raptoris: intelligunt boni Au-
thores hoc decretum, ferri tantum in
eos, qui rapuerunt causâ Matrimonii,
& quidem ipsâmet in abductionem
repugnante. Error personæ reddit
quoque Matrimonium inualidum, non
autem error solius qualitatis, nisi re-
dundaret in personæ errorem, aut nisi
esset error conditionis seruilis. Qua-
re

re errant, qui putant Matrimonium esse nullum, si errore inducti duxerint personam corruptam, aut inopem, quam existimabant esse virginem, aut diuitem; quia hic error solius est qualitatis. Aliud est, si expressa fuerit conditio, duco te, si non es corrupta, aut non duco, si es inops: nam non subsistente conditione, non stat contractus: Ecclesia tamen non credet, nisi probetur, conditionem ita appositam.

Porro sunt duo crimina, quæ Matrimonium inuoluntate: primum, occisio coniugis vnus, animo contrahendi cum ipsius coniuge, utroque mortem machinante; aut si tantum alteruter machinatus est, quando etiam interuenit Adulterium. Alterum est, scienter adulterari, cum alterius coniuge, & cum eâ contrahere Matrimonium de facto, vel dare fidem, eamque acceptari de contrahendo post mortem proprii coniugis. De Cognatione legali, quæ ex adoptione prouenit,

272 *Institutionum Pastoralium*
consule Legistas. Præter dicta Ordo
sacer validè, & liberè susceptus; item
votum solemne, in religione approba-
tâ simili modo emissum, matrimoniû
subsequens dirimunt. De clandestino
matrimonio absq; præsentia Parochi,
& duorum, vel trium testium inito,
quâ ratione Matrimonium dirimat,
dicam paulò pòst.

NVM: VIII.

*De ipsa Celebratione Sacramenti Ma-
trimonii.*

CVM Matrimonium inter Chri-
stianos sit verum nouæ legis Sa-
cramentum, institutum pro iis, qui
existunt in gratiâ; monebis futuros
Coniuges, vt ad illud dignè susci-
piendum se comparent sacrâ confes-
sione, & communionem, bonisque ope-
ribus aliis, caueântque, ne tunc, quan-
do contrahent, sint in malo statu; quia
gratiam Sacramenti non recipent,
imò nouo sacrilegii scelere se obstrin-
gerent,

gerent, vnde facilè infaustæ nuptiæ
sequerentur: quare consulendum, vt
non diu ante contractum peccata ex-
pient, séque in Dei gratiâ conseruent,
interim verò agendo inter se à nimiâ
familiaritate abstineant; facilior enim
est lapsus, ob prætextum futuri Ma-
trimonii: quam ob causam sponsi &
sponsæ, neque sub eodem tecto ha-
bitare, neque facilè simul clanculum
agere permittendi. Contractus ma-
trimonialis, nisi coram Parocho alte-
rius contrahentium, & duobus, vel
tribus testibus celebretur, inualidus
est, in Parochiis, vbi Tridentinum
publicatum fuit, & vsu receptum;
neque saltem per decem annos fuerit
contrario vsu abolitum: in aliis locis
valet, etsi contracturi eâ tantùm de
causâ eò se contulerint: imò censent
graues Authores, satis conformiter ad
mentem Concilii, propter rationabi-
lem epiikiam, valere in locis, in qui-
bus Pastores, aut alii Sacerdotes, de

M s

eo.

eorum licentiâ neque sint, neq; adesse possint, adhibeantur tamen alii testes minimùm duo. Iuuat autem scire, Tridentinum fuisse Romæ primò promulgatum anno 1563. Assistes igitur tuorum Matrimoniis, aut certè alteri, qui Sacerdos sit, eam licentiam facies, modò saltem alter coniugum sit tuus subditus; poteris autem assistere tunc in alterius Parochiâ, aut Diœcesi; si in alienâ tamen Ecclesiâ, pere consensum Parochi: assistent autem tecum, & quidem simul, duo trësue testes, quicunq; testari possunt; expedit tamen, vt sint omni exceptione maiores, quando iure metuis, ne de valore litigetur. Sit autem præsentia & tua, & testium eiusmodi, vt intelligatis, Matrimonium inter præsentem legitimè contrahi, etsi fortè, vt aliquando contingit, minimè ad id vocati. Vide Sanchez lib. 3. disp. 41.

At caue, ne sine licentiâ proprii Parochi assistas alienis; nam præterquam

quam quòd Matrimonium nullum sit, incurres suspensionem ab Officio, donec Episcopus illius loci absoluat. Trid. sess. 24. cap., 1. de Ref. Caue præterea, ne assistas vagis, id est, qui nullam certam sedem habent, nisi prius veritate perspectâ nôris, quòd sint soluti; sæpe enim fit, vt alibi coniuncti sint. Ideo meritò Trid. sess. 24. cap. 7. de Reform. Matrim. Parochis præcipit, ne illorum Matrimoniis intersint, nisi prius diligenter inquisitionem fecerint, & re ad Ordinarium delatâ ab eo licentiam id faciendi obtinuerint: quòd si verò aliqui te accesserint, qui habent in alienâ Parochiâ proprium domicilium, vt peregrini, viatores; ne prius assiste, quàm in Parochiâ domicilii factas denuntiationes acceperis, ad Episcopum transmiseris, vel à proprio Parocho licentiam habueris. In libro denique Matrimoniali accuratè perscribes nomina, & cognomina coniugum, & testium; quòdque

M 6

ipse

276 *Institutionum Pastoralium*
ipse adstiteris, vel alius à te constitutus
eo loco, die, mense, anno.

NVM: IX.

De Ritibus & Cæremoniis.

Assistes ordinariè in loco sacro;
ita enim decet: nisi grauis causa
aliud permittat, aut nisi, cùm Epi-
scopus prohibet, licentiam acceperis:
assistes autem in veste Clericali, imò
etiam in superpelliceo, & stolâ, si lo-
cus sit sacer: parum refert, an ante,
vel post meridiem: nocte non expe-
dit, si periculum sit tumultuum: sed
abstine tempore interdicto, siue feria-
rum Aduentûs, & Quadragesimæ,
saltem cum solemni deductione spon-
sæ, benedictione, aut pompâ nuptia-
rum: imò etiam sine his alicubi nu-
ptias eo tempore contrahi prohibi-
tum. Inter ritus, & cæremonias in
tuo Rituali præscriptas, est benedictio
coniugum supra Missam propriam,
quæ omitti non debet: benedicere
autem

autem muneris est tui, vel alterius
Sacerdotis, de tuâ licentiâ, sine quâ
incurreret ille suspensionem; vt etiam
ille, qui assistit alienis, sine licentiâ
proprii. Si fœmina post viduitatem
transeat ad secundas, omittes; nisi alia
sit consuetudo tuæ Diœceseos; nam
in solis nuptiis nouæ nuptæ, siue hæc
virgo sit, siue non, benedici solet.
Aduigila autem, ne Ritus noui, præ-
sertim profani admisceantur, & multò
magis, si res supersticiosæ in celebra-
tione Matrimonii adhibeantur, pro-
hibe, aut inhibe, optimo, quo pote-
ris, modo: denique caue, ne nu-
ptialia conuiuia in luxum, & abusus
Christianis indignos abeant; vnde
Bacchus, Venus, Proserpina, infer-
nales furia regnent, sequanturq; rixæ,
homicidia, & diuinæ nonnunquam
ultiones, quorum omnium insana
simul, & funesta extant
exempla.

De quibus monendi noui Coniuges.

MOnendi sunt noui Coniuges, vt ad finem, & meritum Matrimonii consequendum, 1. se mutuo secundum Deum diligant, vir vxorem, vxor virum; vt sic onera Matrimonii communia onus sint leuius, & coniugum iugum suauius: vxorem vir habeat vt sociam; non tractet ancillæ loco; vxor virum tanquam caput familiæ honoret; mutuos ambo defectus sustineant, quæ charitati repugnant, auersentur, odia, rixas, & quæ eiusmodi sunt. 2. sibi fidem mutuo seruent, neque matrimonii legibus abutantur; filios, si nascantur, curent Baptismo initiari, mater lactet, quantum fieri potest; alieno enim lacte sæpe proles corrumpuntur, & minuitur amor in matres: deinde statim à pueritiâ instruant in fide, cultu diuino, cæterisque virtutibus; vitia corrigant:

gant: dici nequit, quanti id referat in reliquam vitam: præluceant verò ipsis vitæ exemplo; caueant maximè, ne coram illis loquantur, aut agant, quod eorum pudicitiam lædat: quo in genere nocet, si pueros cum puellis, aut contrà, familiariùs die, aut noctu agere sinant: denique ad mores Christianos totam familiam forment, curentque, vt præcepta Dei, & Ecclesiæ obseruent; & ne Sacramenta negligant, præsertim in morbis.

NVM: VI.

De Puerperæ introductione in Ecclesiam.

Cum mater satis vires restaurarit, sacro ritu eam induces in Ecclesiam; neque ad hoc vis ponenda in certo numero dierum, vel hebdomadarum à partu: sit ea solennis introductio, ob acceptam diuino fauore, fobolem offerendam Diuinæ Maiestati, instar Annæ Samuelem offerentis in Templo, ad impetrandam nouam
gra-

280 *Institutionum Pastoralium*
gratiam matri, prolique. Ritus in Ri-
tuali præscriptos piè adhibebis, sed
orationes ibi præscriptas non facile
priuatim leges in domo Puerperæ;
nunquam verò ad maleficia dissol-
uenda, cùm ab Ecclesiâ ad istud in-
stitutæ non sint: probè tamen facies,
si maleficiatam Puerperam, cùm ve-
nire non posset, ipse adeas, & oratio-
nibus, pro dissolutione maleficii, ex Ec-
clesiæ vsu consuetis, à maleficio
dæmonis exsoluere la-
bores.



PARS